

www.e-rara.ch

Lexicon medicum graeco-latinum

Stupanus, Emmanuel

Basileae, 1639

Kantonsbibliothek Graubünden

Shelf Mark: KBG Bn 35 (1)

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-99875>

C.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CA C H E X I A, *prævus corporis habitus est. i. meth. 9. Inde Cachecticus, i.e. mali habitus homo. lib. de cur. rat. per sang. c. 19. Vide Habitus.*

Cacochymia, *vitiosorum succorum est redundantia. Vide Plethora.*

Cacoëthe *ulcera, ex dysepulotis clariùs intelliguntur, quæ enim ex humorum confluxu, vel multorũ, vel acrium oriuntur, ita, ut locus affectus talem dispositionem, quã id, quod influit, bonum sit licet, tamen ipsum corrumpat, non habeat, Dysepulota nomino: quæ verò dictam dispositionem jam obtinent, præcipuo vocabulo cacoëthe, i.e. maligna, appello. i. de compos. med. per gen. cap. 18. Sed generalius: Quæ ulcera omnibus ritè decenterq; factis non sanantur, ea Medici cacoëthe, i.e. maligna, contumacia, rebelliaq; dicimus. 4. meth. 5. Adhuc generalius: Cacoëthes morbos, i.e. malignos appellamus, quicunq; periculum minantes, spem salutis interim non adimunt; nam quod summè perniciosum existit symptoma, non cacoëthe, sed mortiferum dicitur. com. i. in i. prorrh. 14.*

Cacophonía, *i. e. vitiosa vox. lib. de symptom. differ. cap. 3.*

Cacosphyxia, *i.e. vitiosus pulsus. ibid. c. 4.*

Cacotrophia, *i.e. vitiosa nutritio. ibid.*

Calchoidea ossa, *sunt tria ossa parva circa calcaneum posita, quæ certis nominibus carent, inferiori naviformis ossi per synarthrosin copulata, cum quibus etiam exterior ex parte, Cyboides pariter connectitur. 3. de usu part. & de ossib. c. 24.*

Calcaneus, seu os calcis, quod Græci Pterim vocant, maximum & principalissimum est pedis os, ad firmationē per-

pertinens, quod Astragalo subest. 3. de usu part. & lib. de ossib. cap. 2. 4. 6.

Calcis os. Vide Calcaneus.

Calculus, sive calculosus morbus est, ubi in renibus ex collecta crassorum humorum copia, à calore immoderato calculi generantur. lib. finit. med.

Calefcere, & Calefactum esse, non parum refert dicere, exemplo lebetis, & aquae calidae: Fervens enim aqua, in frigidum lebetem injecta, vel Fervens lebes aquam frigidam excipiens, illic quidem aqua calefacta est, & lebes calefit, juxta Typum putridarum febrium, hinc lebes calefactus, aqua calefit, ad morem febrium hecticarum. lib. 1. de differ. febr. c. 1.

Calidum, hoc ipsum verbum aliquando transferimus ad qualitatem, cujus proprium nomen est caliditas, aliquando denominativè totum corpus dicimus calidum, à caliditate; estq; hic modus loquendi plurimus in omni vita. 1. aph. 14. Communiter Hipp. à qualitatibus nominat elementa: Calidum E. G. appellat, neq; solam qualitatem, neq; quod ab ejus exuperantia dicitur, sed τὸ πᾶν τὸν θεῖον & θεῖον τὸν θεῖον, corpus, quod summam participat qualitatem, ut Ignem. 1. de element. cap. 8.

Callicreon, sive Pancreon, caro glandulosa est, substrata arteriis, venisq; ventriculi, quae eâ parte in ramos capillares finduntur. lib. de ven. & artic. dissect. cap. 1. Vide Pancreas.

Callosum corpus, i. e. calli naturam referens, regio quadam in cerebro est, in qua naturalis concavitas esse videtur, quae ex superjacentibus, & circumdati corporibus, portionem alimenti non perfectè elaborati (perittoma, sive recrementum vocant) recipit, 9. de anatom. adm. cap. 3.

quod recrementum ab Aristotele excrementum dicitur, lib. de instrum. odor.

Callus, idem quod Clavus, Græcè πύλ. 6. simplic. Dicitur etiam Tophus, ex crudo humore, qui crassus est, ad similitudinem puris crassioris. 10. de compos. med. loc. c. 2. Vide Myrmecia, & Tylosis.

Calvaria, sive cranium, os capitis appellatur, lib. de ossib. cap. 1. Vide Cranium.

Calvata, ferramenta appellat Hippoc. quæ rotunditatem quandam levem in extremis partibus habent, cujusmodi sunt specillorum capitula, & quæ Nucleata appellantur, & spatularia. Oblonga verò his contraria nuncupantur, quorum extrema minimè sunt rotunda, sed mucronata, ad suffusionem & cataractam punctione tollendam accommodata instrumenta quodammodo similia. lib. 1. de artic. cap. 43.

Calvities, est capillorum defluvium, propter humorum, ex quibus nutriri consueverunt, inopiam; si verò propter eorundem humorum vitium, corrumpantur, & cadant, non Calvities, sed Alopecia, Area, & Ophiasis dicitur. 1. de comp. med. loc. cap. 2. Vide Madarosis. Capitis sane cutis, pueris, mulieribus, & eunuchis humida est, sed calvis immodicè arida, cerebrum in juvenibus molle cum sit atq; humidum, calvariam tangere, omnemq; interiorem inani-
tiem complere, in senibus verò siccescens subsidensq; à calvaria distare, sæpius in animalium dissectionibus conspici-
mus, in quibus calvescentibus syncipitis ossa fistulosa
aliis, & molliora ac superincumbentia ob cerebri (cum ad ipsa usq; non pertingat, neq; ea attingere possit, subside-
enim, in suamq; ac ipsius basin depressum cadit) distan-
tiam, exarescunt, & consequenter, ossibus istis resiccat, &
ipsi

ipsis obtenta cutis inarescit, atq; ipsi sensui valde sicca, in calvis apparet, ut rationali demonstratione non egeat. com. 3. in 6. de morb. vulg. 2.

Calx, est totius pedis posterior pars. lib. Introd. cap. 10. Clarius in lib. de osib. c. 25. ait, Calx est os pedis maximum, ossi scaphoidi subjectum, quod & rotundas ex talo partes recipit, & geminos, quos habet, processus in sinum ejus inserit, parte, quâ ingredimur, leviter rotundâ, & latiusculâ.

Camarion, sive Psallioides corpus, est pars cerebri, quæ supra communem cavitatem (quâ cerebrum cerebello suâ perforatione committitur) velut domûs rectum quoddam in sphaera superficiem concavam circumactum, ad similitudinem testudinum, & fornicum, quibus architectores utuntur. 8. de usu part. cap. 11. Vide Fornices.

Camarosis, est ossis perruptio, cum ex alterutrâ re fractum parte similem camera figuram acceperit. lib. finit. med. Unde recentiorum nonnulli vehementissimas fracturas, Camaromata, & Engosomata vocant: Engosomata quidem, quæ in medio sui membrana innituntur; Camaromata verò, quæ eandem ipsam partem exaltatam habent. Ceterum, quâ primum ab integris fractura partibus, diduci agra cœpere, intrò magis recedunt, ac membrana innituntur. 6. meth. 6.

Camisia foetus. Vide Chorion.

Campylon. Vide Helosis.

Cancer, est tumor præter naturam, fuscus & lividi coloris, in quo venula quædã exaltata primò occulta, (quando & Cancrum latentem vocant, lib. de attrab. cap. 4.) deindè manifesta, à crasso & nigriore sanguine, feci vini assimilata, sunt oppleta, cancri effigiem exhibens. 14. meth. 9.

Canina cupiditas, est prava dispositio oris ventriculi

superioris, multa impetuosè ingerentis, nec potentis devoratorum pondus sustinere, sed eadem inalterata supernè, vel infernè excernentis, similis renum diabetica passioni, ubi tanta serosa humiditatis cupiditas adest cum virium imbecillitate, ut & humiditatem affatim attrahere, ac eam deinde in vesicam confestim renes impellere coguntur. 6. loc. aff. 3. Vide Bulimos.

Canini dentes, quos Græci *νωδοντες* vocant, sunt duo utringq, utriq, mandibula, superiori, & inferiori, inherentes dentes, qui canum dentibus quàm similimi, inferiore basi lati, parte superna acuti, quibus singula quoq, radices longissimæ insunt, ut, si quid propter duritiem ab incisforibus dentibus scindi minùs potuit, id frangere possint. lib. de ossib. cap. 5. Vide Dentes.

Canities, est pilorum ante legitimam ætatem, in album commutatio. lib. finit. med.

Canthus oculi. Vide Anguli oculi.

Capillaris vena. Vide Apanthismus.

Capillitium. Vide Trichiasis.

Capistratio. Vide Phymosis.

Capitis vena, & Cephalica, & humeraria, & externa dicitur, est, quæ ex jugularibus externis jam divaricatis, quibus cum radicem habet communem, utringq, extra thoracem ascendit, & per humerum in externam brachii regionem declivis excurrit. initio secundi de rat. vict. Vide Axillaris vena.

Capreolaris, sive hederarius anfractus, est arteriarum & venarum ad utrumq, testiculum descendantium, nõ recto itinere, sed instar capreoli, aut hederæ, variis modis involutarum, connexus. 1. de semin. cap. 12. Vide Glandulosi asis istentes.

Capri-

Caprizans pulsus est, ubi motum arteria interpellat velut & interrumpit, ita ut motus à quiete alter, celerior primo, & vehementior sit. 1. de diff. puls. c. 29.

Capfula cordis, i. e. Pericardium. Vide Membrana Pericardios.

Caput, est suprema corporis pars, quam nonnulli ventrem superiorem nominant, collo terminatur, & partes animales continet.

Caput cordis, est ampla, & orbicularis, ejus pars superna, & basis. 6. de usu part. cap. 7.

Caput ossis, est extrema ossium pars, crassior, & orbiculata. lib. de ossib. in proxim.

Caput-purgia, sunt medicamenta omnia, quæ capitis purgandi gratiâ induntur naribus, & dicuntur Errhina, sive intra os sumpta, partim colluendo, partim mandendo per sputum caput purgent, & vocantur apophlegmatizantia. 5. de simpl. cap. 20.

Carbo (qui & Carbunculus) dicitur, cum melancholicus humor, in cutem decumbens simul cum febre, exanthemata per cutem crassescentem siccescentemq, concitat, assatum sanguinem indicantia. lib. de atrab. cap. 4. Carbunculus ulcus est, crustam citò, cum inflammatione totius partis vicinæ validâ, ut & febres vehementes, & extrema pericula, inferens, 5. de compos. med. per gen. cap. 15. cujus crusta nigra est, & cinerulenta, aliter quàm quæ sanguine suffusa sunt, aut quæ algore frigent; non enim vehementer lividus, ut in illis, tumor est, sed habet aliquid splendens, ut bitumen & pix: talis autem est, exacte atra bilis. lib. de tum. cap. 6.

Carbunculus. Vide Carbo.

Carcharaconta, dicuntur animalia, quæ serratis

sunt dentibus, ut Ursus, Leo. 9. de anatom. admin. cap. 1.

Carcinoma, in utero est tumor, sine ulceratione, inaequalis, & verrucosus, lib. finit. med. quem etiam à cancro animali Carcinon vocant. ibid.

Carcinos. Vide Carcinoma.

Cardia, i.e. cor, quod non solum visceri, vite principalissimo, quod sui natura palpitat, nomen fuit apud antiquos, sed etiam ori ventriculi superiori. 4. aph. 65.

Cardiaca dispositio, est innati roboris labefactatio, & languor; fit plerumq; conflitante ore ventriculi & stomacho, cum sudorum immodica vi. Sunt qui Cardiam, cordis phlegmonem statuunt, atq; ab hac exortam virium exolutionem Cardiacam, vel dispositionem, vel syncopen nominant. 1. de caus. sympt. cap. 7. & lib. finit. med.

Cardiacus morbus. Vide Cardialgia.

Cardialgia, i.e. cordis, seu oris ventriculi dolor, & morbus, qui & Cardiogmos dicitur, à forti ventriculi aestu, flavâ bile in ipsius tunicis ebulliente, quin & à pituitâ impensissimè frigidâ, & statuofo spiritu frigido, genitus. 4. aph. 65. Dicitur etiam Cardiacus morbus. lib. Introd. cap. 13. & 8. de comp. med. loc. cap. 1.

Cardiogmos. Vide Cardialgia.

Carnosa cutis. Vide Musculus cuticulofus, aut Panniculus carnosus.

Caro, propriè vocatur tantùm ea, quæ in musculo est, reliquarum partium nullam, homines carnem vocant, præterquàm admodum pauci, sed quæ in visceribus, ceu jecinore, renibus, liene, pulmone, visuntur carnes, eas parenchymata (quasi effusiones dixeris) Græci vocant, quæ in intestinis, ventriculo, stomacho, & utero sunt, sine nomine relinquunt. 11. meth. 11. Parenchymata autem eas partes vocant,

vocant, non carnes, propterea quod ex venis effusus sanguis circum vasa omnia concreseat. 11. de simpl. in initio.

Caros, sive Sopor, est deperditio sensus, & motus, in toto animalis corpore, illas autem manente spirandi facultate, ex lasa anteriore cerebri parte, & temporum musculis; si vero spirationem adeo vehementer opprimat, ut quis vel magno conatu vix spirare possit, eorum exemplo, qui per gravem somnum stertere solent, Apoplexia tunc affectio nominatur. 4. de loc. affect. cap. 2. & 13. meth. 21. & com. 2. in 1. prorrh. 29.

Carotides, i.e. soporaria arteria, sunt duae illae, quae ab arteria magna, à sinistro cordis ventriculo emergentes, rectae ad caput feruntur, omnibus, quae sunt supra cor, partibus distributae. 16. de usu part. cap. 12. & 1. de placit. cap. 7. Soporaria autem nuncupantur, quia soporem, affectionem dictarum arteriarum propriam esse autumat. l. 5. de placit. cap. 7. Vide Soporariae.

Carpon, & Carpos. Vide Brachiale.

Carunculæ, nunc substantia intestinorum portiones dicuntur, quae in difficultate intestinorum excernuntur, adeo magna, ut possimus eas carnes nominare, 4. aph. 26. nunc vero carnosam quandam particulam, in summo ore pendentem, quam & columellam vocant, significant. 6. de comp. med. loc. cap. 3. Vide Gargareon, & Difficultas Intestinorum.

Casus, aliàs signa, & symptomata mox apparentia dicuntur. 1. aph. 12. Vide Judicatoria signa.

Cataclida, sive Subclavium dixeris, primam thoracis costam parvam significat. lib. de musc. dissect. cap. 12.

Catagma, i.e. ossis fractura. 2. meth. cap. 2.

Catagmatica emplastra, quae & cephalica vocant,

sunt, quæ calvaria fracturis accommodantur, habentq; abstergendi, digerendi, & siccandi potestatem. 2. de comp. med. per gen. cap. 16. Dicuntur & Catagmatica ligamenta, quibus fasciarum instar, ossis rupturæ deligantur. 1. de comp. med. per gen. c. 4. Vide Cephalica emplastra.

Catalepsis, est deperditio sensûs visûs, apertis palpebris, servatâ tamen secundum naturam spiratione, in quâ posteriora cerebri potiss. & nervorum exortus intemperie frigidâ siccâ, unde etiam affectus hic Nervorum exortus dicitur, afficiuntur, 4. de loc. aff. cap. 2. licet alibi Catalepsin dicat esse spiritûs cohibitionem, lib. de musc. diss. cap. 26. Et alibi dicit, Catalepsin fieri, refrigerato primo sensorio, i.e. cerebro ipso: quæ refrigeratio cum fortis fuerit, mista humiditati, facit lethargicas passiones; cum siccitate verò eas, quæ à Græcis νάρκησις, i.e. deprehensiones dicuntur. 2. aph. 3. Eundem affectum Catoche & Catochon vocant. 4. de caus. puls. cap. 16. Vide Catoche.

Catalorica medicamenta sunt, quæ cicatrices grossas equant, & limpidant. lib. de Dynamid.

Cataphora, i.e. veteriosa affectio, lib. 1. prorrhet. quâ ægris, sopori gravi simile quid obvenit, suntq; tûm omnis sensûs, tûm vocis expertes. 1. de dieb. decret. cap. 4.

Cataplasma, compositio est humida, pulvi similis, ex farinis floribus, & humidis unctuosiss. 3. de compos. med. per gen. cap. 2.

Catapotia, i.e. pilula. de remed. par. fac. cap. 6. Vide Pilulæ.

Cataproxis, morbus non est, sed symptoma Comitiale, attonitam concidentiam repentinam significans. lib. de tot. morb. temp. cap. 4.

Cataracta, sive Suffusio, aliàs Hypochyma, est pituita

trita inter uveam, & crystallinū humorē coagulata, prohibens spiritūs visibilis tūm commeatum in oculum, tūm effluuium ex oculo. lib. de ocul. par. 4. c. 12. Vel, Suffusio est, cum cernendi facultas deperditur, siue apparente, siue non apparente in oculis malo aliquo, & aut propriā affectione molestatis, aut oris ventriculi, cerebriq³, ex cognatione, & consensu, iisdem afflictis. 4. de loc. aff. cap. 3. & 5. de loc. aff. cap. 6.

Catafarca. Vide Anafarca.

Catasthefis, dispositio est, quæ faciliè discutitur: opponitur hectica dispositioni illi, quæ tenaciter inheret, & habituata est fixa firma. 3. de loc. aff. cap. 2.

Catastasis. Vide Diathesis.

Catataxis, est corporum ad inferna loca tractio, quæ obitur partim organis tentoriis, è regione oppositis, partim transsumptione in contrarium, nempe transmissis per rotulas principis, quæ tentionem moliuntur, ac superius annexis. Opposita huic est Anataxis, quæ est tentio ad loca superna per traductionem. lib. finit. med. Vide Anataxis.

Catarrhus, seu defluxus, est multorum humorum delatio ex cerebro, per palati foramina & nares, quæ in exitu unà cum flatu egrediente, strepitum quendam faciunt. lib. finit. med. Vide Coryza.

Cathartica, seu purgans facultas, vel medicamenta, duo significant: 1. Omnia ea, quæ quovis modo animalis excrementa expurgant. 2. Id saltē, quod per excellentiam tantū, aut per vomitum, aut per ventris defectionem purgat; neq³ ejusdem est generis cum iis, quæ per nares, aut vulvæ, admota, expurgant. 5. de simplic. med. fac. cap. 20.

Cathemerina febris, i. e. quotidiana: ita enim con-

sueverunt vocare eam febrem, quæ singulis diebus accenditur, neq³ ullam habet intermissionem; ego verò (inquit Gal.) solitus sum eandem febrem Amphimerinam continuam appellare: nam vocabulū Cathemerinon nusquam apud Græcos usurpatū invenitur; omnem verò rem, quæ quotidie eodem modo fit, Amphimerinam vocant: vocetur itaq³, quæ singulis diebus accenditur & finitur febris, Amphimerina, i.e. quotidiana simpliciter; quæ verò non nō intermittit, quotidiana continua. 2. de diff. febr. cap. 7.

Cathæretica medicamenta sunt, quæ ex crescentem carnem in ulceribus absumunt, s. de simpl. cap. 2. eisdemq³ cicatricem inducunt. ibid. cap. 15. Vide Septa.

Catheter, est fistula cannulæve urinaria, cujus extremum aliquo linimento, oleo aut cataplasmate illinimus, & ad removendam urinæ suppressionē, virgæ immittimus. ad Thrasib. cap. 23. Vide Syphones.

Catixin, seu secundum rectitudinem, eruptio sanguinis est, cum sanguis è directo loci affecti effluit, & emititur. lib. de cur rat. per sang. mis. 15.

Catoche, qui & Catochus, vigilans sopor est, 3. de loc. aff. cap. 5. estq³ solius cerebri affectus, veluti & per totum corpus convulsiones. com. 3. in 1. prorrh. 69. Est quoq³ Catochus fascia longior, quæ in orbem, faciei & capiti circumdatur, ut operculum comprehendat. lib. de fasciis. Vide Catalepsis.

Catotherica medicamenta, quæ & ἀγλαῖα Græcè dicuntur, sunt medicamenta dejectoria, quibus renes, vesica, & gibba hepatis, à vitiosis succis expurgantur per urinas, ut Cava jecinoris & intestina, dejectione. 7. meth. 13.

Cava vena (sic appellata, quod venarū omnium, quæ per

corpus animalis diffeminatur, latissima sit & capacissima, 4. de rat. vict. 27.) est vena magna à gibba hepatis parte orta, lib. de ven. & arter. dissect. cap. 2. per quam hepar, ex ventriculo per mesaraas venas attractum alimentum, & in ipsa hepatis substantiâ elaboratum, in omnes superiores corporis partes distribuit, 4. de usu part. cap. 13. quæ à convexis jecoris partibus orta, tum cava, propter sui magnitudinem; tum jecoraria, à viscere, undè egreditur, nominatur. 8. de placit. cap. 1. Nec verò à jecinore solum hac vena, quæ à gibbis hepatis egreditur, sed alia etiam, quæ à simis & concavâ ipsius parte, quam portas vocant, (undè & vena portæ appellatur) promanat. 4. de usu part. cap. 13.

Cauda. Vide Coccyx.

Cavernosa ossa, foraminulenta, Ichmoidea, & Spongiosa, seu Spongoidea, sunt ossa quadam parva supra nasi radicem, ante meningas, in meatu olfactorio posita; à cribri, vel spongia similitudine sic dicta. 8. de us. part. cap. 7. Vide Ossa Ichmoidea.

Cavernosum nervum appellant Penis colem, à quo Penem, & ipsum totum, nervosum dicunt. Coles enim in marium genitalibus, & uteri cervix, quoniam extendi, & in seipsam rursus retrahi, & subsidere videntur, nervosum proinde dicunt, com. 1. in 6. de morb. vulg. 2. diciturq; flatusosus, & fistulosus, 6. de loc. aff. 6.

Cauledon, est species fracti ossis, quæ per transversum fit, in qua fracti ossis partes ita à se disident, ut è directo non jaceant. 6. meth. 5. Vide Schidacedon.

Caulòs, i.e. pudendum virile. 14. de usu part. cap. 12.

Causa morbi, est id, quo presente afficimur, & quo sublato statim cessat affectus. 1. de loc. aff. cap. 2. Aut, quod ei, qui fit, morbo, aliquam generationis partem tribuit.

Cau-

Causæ præcedentes. *Vide* Febres putridæ.

Causæ præincipientes. *Vide* Febres putridæ.

Causodes febres, i.e. incendentes, 1. aph. 12. quas etiã Causonas vocant, i.e. febres ardentes. 1. de cris. cap. 4. *Vide* Continua febris.

Causon. *Vide* Causodes, Continua, & Synocha. Causon legitimus dicitur, qui ex redundante flavâ bile fit, in vasibus majoribus circa cor putrescente; nothus verò, qui ex putrescente crassâ pituitâ. 4. de rat. vict. 13.

Cautica, h.e. urentia medicamenta sunt, quæ & vehementer calida sunt, & consistentia crassa, quæq; ignis instar, corpus colliquant, & sæpe escharas, h.e. crustas efficiunt, 5. de simpl. cap. 15. Indè & affectiones causticæ, & caustica excrementa, i.e. urentia appellantur, quarum virtus est, morbum & acutum, & periculosum, & velocis judicationis reddere. com. 2. in 1. prorrhet. 60.

Cedmata (νέδματᾱ) vocat Hippoc. fluxiones in crura decumbentes, & ex iis, eas maximè, quæ primum articulum, ubi coxendix est, occupant. comm. 5. in 6. de morb. vulg. 22. Significat quoq; affectus ex diuturnis illis, quæ sequuntur, defluxionibus tum plerisq; aliis in articulis, tum verò præcipuè circa coxendicem.

Celas, Hernias, Ramices, Circocelas, significant omnes testiculorum tumores, lib. de tumor. cap. 15. Barbaram sectantes medicinam, Rupturam vocant. Hæc variis fit modis, variasq; à parte affectâ, affectûsq; hujus causâ conjunctâ, appellationes accipit: si enim peritonæo rupto, intestina in scrotum descendunt, Enterocèle Græcis, Ramex intestinorum Latinis appellatur; ubi verò intestina suprâ in inguinibus herent, Bubonocèle, h.e. Ramex inguinalis vocatur; si humor aliquis aquosus in
scroto

scroto colligitur, Hydrocele, i.e. Ramex aquosus nuncupatur; quum autem caro dura intra testium tunicas concrevit, Sarcocoele, h.e. Ramex carnosus dicitur. In summa, nomen semper à rebus opplentibus, & in tumorem sublatà à parte, accipiunt. Proinde, si omentum in scrotum devolvatur, Epiplocele, h.e. Ramex omenti nominatur; sic ubi venæ ultra modum repleta ac dilatata glomerantur, Cirsocele, i.e. varicosus Ramex vocatur. Vide Hernias.

Celer pulsus est is, cum celeriter & brevi tempore arteria distenditur. 1. de diff. puls. cap. 7.

Cenchria, alterum est herpetum genus, quod à similitudine, quam habet cum milio, (quod Græcis νέγξος dicitur) Cenchriam vocant, humores mistæ facultatis, bilem scilicet, & pituitam, continens, quæ non protinus ulcus faciunt, quemadmodum bilis sincera, sed admodum exiguas pustulas ad speciem milii, quæ tamen & ipsa decursu temporis in ulcus transeunt: dicitur & Herpes miliaris, 14. meth. 17. Vide Herpes.

Ceneangia, propriè & primùm vasorum inanitionem significat, atq; ob id *ἀορίαις*, i.e. ciborum abstinentiæ perhibetur symptoma. 2. de rat. vict. 47.

Ceneon. Vide Ile.

Cephalæa, cerebri morborum symptoma, est capitis diuturnus dolor, difficulter solubilis, qui à parva occasione, vehementes habet accessiones, ita ut neq; voces, aut motum tolerare possit infirmus, sed tranquillitatem, obscurumq; cubiculum quærat, ob doloris vehementiam; cum nonnulli veluti malleo se percuti, alii caput sibi contundi distendiq; sentiant, non paucis ad oculorum radices dolor extendatur, suis intermissionibus circumacti, non secus ac qui Cepha-

phalalgia laborat, sed in Cephalæa, affectæ partes redduntur multò debiliores, quàm in Cephalalgia. 3. de loc. affect. cap. 9.

Cephalalgia, οἶον ἀλγος καὶ κεφαλῆς, est dolor capitis promiscuè qualiscunq. lib. 2. de comp. med. loc. cap. 2. Vide Cephalæa.

Cephalica emplastra, capitis fracturarum, quæ usq. ad crassæ meningis duplicaturam pervenerunt, accommodata sunt pharmaca, quorum virtus est, ut ossium squammam sursum trahant, & in pristinum locum revocent, & fragmenta ex capite, ut & aliis ex corporis ossibus, educant. Nonnulli communi genere hæc etiam vocant Catagmatica, propriè verò nuncupata fortiora sunt, siquidem ex alto, non ossa modò, sed his multò quoq. magis, humorem aliquem crassum, & viscosum, vel omninò depravatū suā caliditate attrahunt. 2. de comp. med. per gen. cap. 18. Deniq. medicamenta carnem producentia, Cephalica vocant, 3. meth. 2.

Cephalica vena, quæ & Humeralis, sive Humeraria dicitur, ramus est venæ cavæ ad jugulum ascendentis, ubi ad furculas divisa, altera pars humero superposita ad manum tendit; undè & Cephalica dicitur. lib. de anat. viv. Vide Humeraria.

Cerææ, mulieres sunt, quarum uterus propriis ex morbis, [illius sive in processibus supernis & lateribus, (Ceraas Græci vocant) sive in collo aut fundo consistant,] quandoq. plura, quàm prius, quandoq. pauciora, vel nulla, vel mala mittit menstrua. 3. de sympt. caus. cap. 4.

Ceratoide, cornea, seu corniformis tunica oculi est, quæ à durâ meninge orsa (tunicam choroidem completens) crassa admodum, parte ejus mediâ interim densissima,

sima, & splendida ad splendorem recipiendum, & transmittendum, cornibus admodum extenuatis similis; unde eam à cornu similitudine Ceratoidem, Corneam, & Corniformem appellant, 10. de usu part. c. 3. Vide Rhagois tunica.

Ceratomalagmata, nomine à sola consistentia desumpto, vocant medicamenta, quæ corpori imponuntur, non omnino quidem humida, siccitatem verò tantam necdum consequuta, quantam emplastra possident. 7. de comp. med. loc. cap. 11. 13.

Cerchis. Vide Cubitus.

Cerchnòs, est exiguus quidam ad tussendum impetus, & conatus, non tussis, sed veluti nausea vomitiones præcedūt, ita tussim hoc symptoma. Atq; ut nonnulli nauseaarunt quidem, non tamen vomuerunt, ita nonnullis Cerchnòs incidit, nec tamen tussis propter causæ parvitatem est secuta. 2. de sympt. caus. cap. 4.

Cerebellum, posterior est cerebri pars, quæ à nonnullis Encranion, vel Parencephalis, vel posterius Cerebrum dicitur, 9. de anat. adm. cap. 2. estq; spinalis medullæ principium, & nervorum omnium, qui in toto animali sunt activi, fons & origo. lib. de ossib. cap. 11. Vide Parencephalis.

Cerebrum, quod Græci à situ Encephalon appellāt, (nam nominatur ita, quod ἐν τῇ κεφαλῇ, h. e. in capite situm habet) animæ ratiocinatricis est domicilium, nervorum & sensus omnis, motusq; voluntarii principium, substantiâ nervis similitimum, nisi quod mollius; nam id illi conveniebat, ut quod sensus quidem omnes recipit, omnesq; imaginationes, atq; mentis notiones complectitur. 9. meth. & 2. de usu part. Substantia ipsius glandularis est alba, veluti

veluti è spumâ quâdam concreta, & humida. lib. si nit. med.

Cerelæon, compositio est ex cerâ & oleo. 7. de compos. med. per gen. cap. 2.

Cerion, i.e. favus, ulcus parvum in capite est cum tumore, ex cujus foraminibus crassior sanies, & mellis essentiam referens, profluit. lib. de tumor. cap. 15. & 1. de compos. med. loc. cap. 8. Vide Helminthes.

Certatoriâ, h.e. agonisticâ aquâ frigidâ uti illi dicuntur, quibus ea & affatim & frigidissima exhibetur. lib. de marcore, cap. 8.

Cervix. Vide Spina. Dicitur & Cervix, tenuis osium processus. lib. de osib. in procem.

Chalastica. i.e. relaxantia, seu remittentia vocamus, quæ modicè calefaciunt, quorum usus est, ut conniventia adstrictaq; corporis laxent, flatuosum spiritum tenuent, & phlegmones materiam digerant. 13. meth. 5. Induratorum corporum medicamina, quæ ipsorum solvunt duritiem, Malactica, h. e. emollientia dicuntur; quæ autem tensioni medentur, Chalastica appellantur. 7. de comp. med. per gen. cap. 9. Vide Relaxantia.

Chalazia, à Græco ἡ χάλαια, i.e. grando, sunt tubercula instar grandinis, pellucida, aut per cutim sparsa, aut palpebras maximè infestantia. Græci Posthias vocant. 4. de comp. med. loc. cap. 7. ubi dicit, Chalazia est morbus, ex vitis, quæ oculos infestant, cum toto genere præter naturam aliquid peccat, 14. meth. 19. Sic etiam nominatur vitium quoddam in suis ore, sub linguâ. Ath. l. 3. Deniq; in ovorum quoq; luteo χάλαια dicuntur, à grandinis formâ & colore: Arist. 3. de hist. anim. c. 2.

Cartilago, quam Græci χόνδρον vocant, est particula simplex in animalis corpore, quæ aliarum quidem omnium

omnium est durissima, toto autem osse est mollior. 7. de usu part. cap. 3.

Cartilago ensiformis, Græcis Chondros Xiphoides, 6. de usu part. c. 3. Eadem dicitur mucronata, lib. de ven. & art. diss. c. 5. Aliqui sunt, qui ensiformem cartilaginem dicunt esse, totam pectoralis ossis figuram, (non autem eam tantum, quæ in imo ejus est,) quia gladii similitudinē representat. l. de ossib. c. 13. Vulgus malum punicum, seu granatum vocat; pectoris autem ossis, quod στέγνον vocant, pars extrema est, cui τὸ στέγνον ἔχει proxime subjicitur.

Cartilago innominata, est secunda laryngis cartilago, quæ nomine caret, in internis partibus, quæ Oesophagus est, positionem habens. 7. de usu part.

Cartilago peltalis, est imperfectus circulus in principio asperæ arteriæ collocatus, ad modum peltæ, cujus gibbositas apparet in gutture, ac Adami pomum appellatur; ejus verò defectus est versus gulam, unde cartilago peltalis dicitur, cujus defectum supplet quadam cartilago supposita isti inferius, faciens etiam circulum imperfectum, sed contrario situ cum superiori, quia ejus gibbositas interius est versus gulam, defectus exterius, versus guttur, diciturq; cartilago cymbalaris, vel coopertoria. l. de anat. viv.

Chemosis, morbus oculi est, quando album oculi tumefactum, adeo circulum Iridis excedit, ut & nigrum oculi concavum videatur. lib. de anat. ocul. Alibi, Chemosis ex vehementi inflammatione, utraq; palpebras in exteriorem partem detorquet, ita ut totus oculus integri nequeat. lib. Introd. cap. 15.

Chenicidas, instrumenta quadam vocant, quibus in calvarie fracturis utimur. 6. meth. 6.

Cheros, i. e. tempus, seu ætas morborum. lib. de morb. temp. cap. 1.

Chion. Vide Cion, & Staphyle.

Chironia, & **Telephia**, χερώνιον sive χερόνιον ἔλκω, sunt species ulcerum malignorum, oras habens duras, callosas, & tumentes. lib. de tumor. cap. 13. Tria tantum ulcera propriam habuere appellationem, Anthrax, Phagedæna, Herpes, cætera omnia, communibus deteriora, per se ipsa solebant antiqui simpliciter ulcera nominare **Chironia**, quæ in longum tempus prorrahuntur, cum ne quidem longo tempore fuerint ad cicatricem producta, rursusq; influente in illo Ichore, ex osse corrupto, in parte penitior inflammantur, & pus generant pessimum, corruptissimum, à quo cicatrix eroditur, & caro exulceratur. 6. aph. 45. Inveterata ulcera, & dyssepulota, h. e. cicatricem ægrè ducunt, itidem **Chironia** nominant, 4. de compos. medic. per gen. Dicuntur (ait) **Chironia** partim ab eo, qui primum ea sanavit, partim ab ipsis, qui iisdem sunt affecti, ut **Telephium**. 2. meth. 2.

Chirurgia, i. e. manualis operatio. 6. meth. 6. Inde **Chirurgice** ea est Medicina pars, quæ manu medetur. 3. de comp. med. per gen. cap. 2.

Chloron, i. e. pallidus & æruginosus color. 2. progn. 20. Hinc **Chlorosis**, quæ partim de morbo febre pallidâ, uteri vasorum oppletionem, partim de symptomate, discoloratione universi corporis habitus virginum nubiliū, ex utero agrotantium usurpatur.

Choana, χόανω seu χόανον, à χέω, i. e. liquefacio, dis-fundo, vas est ex argillâ, quo argentarii & chymici utuntur, infundendis ac liquefaciendis metallis: aliàs Infundibulum, Scypho, Pelvis, Pyelos, significat cavita-tem

rem quandam, in quam meatus cerebri expurgantes in palatum desinunt. 9. de usu part. c. 3. Aliàs Choana vulgo lacuna dicitur.

Choeras, ἡ χοίρας ἀδὸ, porcula, scrofula, struma, vel à petris, qua χοίρας αἰς dicuntur, vel ἀπὸ τῆς χοίρας, à porcis, in quorum gutture frequenter ejusmodi tumores reperiuntur, sic dicta. Fit autem struma sæpè propter ulcus, quod in manûs aut pedis digito est, glandula in inguinibus, & alis, tum intumescunt, tum phlegmone occupantur, quin etiã in collo, & secus aures, sæpè glandula (iis, quibus in collo, capite, vel aliquã vicinã parte, ulcus est natum) intumescunt: nominant autem ipsos adenas, cum sic intumuerunt, Bubones; quod si scirrhostior earum partium phlegmone aliquando fuerit, hæc & agrè sanabilis redditur, & Choeras, i.e. Struma dicitur. 13. meth. 5.

Cheiras, Grecis ἡ χεῖρας ἀδὸ, ἀπὸ τῆς χεῖρος, fissura sunt, in manibus præcipuè, sed & pedibus & testibus.

Cholagoga, i.e. bilis eductiva medicamenta. 4. aph. 2.

Choledocos, i.e. vesica bilis receptiva, quam etiam jecoris vesicam nominant, lib. 6. de anat. adm. c. 2. Eandem etiam cystim bilis, i.e. vesicam bilis susceptricem vocant, 4. de usu part. cap. 12. ut & fellis folliculum, 5. de loc. aff. cap. 7.

Cholera, i.e. biliaris, morbus est acutus, cum vomitibus multis, aliq̃q̃ dejectionibus biliosis, suris quoq̃ se contrahentibus, ac frigescentibus extremitatibus: fiuntq̃ in his agris pulsus minores, & obscuriores. Nomen habet non tam à χολῆ, quàm à χολαῖς, i.e. intestinum, per quod materia ex ventre egeritur. Cholera duplex est apud Hippocratem: altera humida, in qua, ut omnes nôrunt, vehemens est excretio bilis, suprà infrãq̃ erumpentis, intestina

graviter torquentur, accedunt convulsiones, sæpè etiam crurum sura contrahuntur; alteram siccam choleram vocat Hippoc. ab eadem proveniente causâ, ac circa eadem consistentem, at citra ventris fluorem, & vomitum. lib. finit. med.

Chondros, i. e. cartilago. 7. de usu part. cap. 3.

Chondrosyndesmus, i. e. cartilagineum ligamentum, 1. de temp. cap. 9. Hinc & συνχόνδεσμος, unio ossium, cartilaginis interventu facta.

Choræ, i. e. regiones oculorum, seu cavitates, quæ superciliis subjacent. 8. de usu part. cap. 6.

Chorion, Græcis χορίον & χωρίον, i. e. secundina, extrema foetus, hunc totum tam in brutis, quam in homine involvens, est membrana, vulvæ prægnantis mulieris adherens, multarum venarum & articularum contextu, intervalla membranæ obducta habens. (Unde ἀπὸ τοῦ χορίον dicta, quod in eo vasa, veluti in choro disposita sunt; quam τὸ χωρίον à χωρέω, quod foetus velut domiciliū, unâ cum illo, in partu prolabatur.) Eidem duæ aliæ membranæ interiùs adnascuntur: altera, quæ Amnium, i. e. Amiculum dicitur, toti foetui circumjecta; altera, quæ Allantoïdes, i. e. Intestinalis, eminentibus tantum partibus, capiti, natibus, pedibus, duplex superjecta, lib. de vulvæ diss. cap. 10. quæ Arabicis Abgas, Camisia foetus, & profundatio sudoris dicitur. lib. de Anatom. viv.

Choroides plexus (qui & Retiformes, & Reticulares dicuntur, Vide Plexus retiformis.) sunt convolutiones membranarum cerebri, ex multis venis, & arteriis, secundarum instar effigiata, nomine à Choriis, i. e. membranæ diducto, quæ foetus extrinsecus in orbem ambiunt. 9. de anat. adm. cap. 3. Constituitur autem prope
me-

medium cerebri ventriculū. 9. de usu part. cap. 7. Dicitur adhuc & tenuis cerebri membrana Choroides, i. e. secundiformis meninx. 8. de usu part. cap. 9. Dicitur & Choroides oculi tunica, corpus quoddam retiforme, quasi tunica, (Amphiblestroide dicta) humorem vitreum oculi ambiens, quod ex portione tenuis meningis & ipsius quasi cerebri supernè descendente, atque amplificatâ, est conflatum, reti simile, quod retiforme corpus, à choroide, i. e. tenui meninge, quæ illi supernè committitur, continetur; undè tunica oculi choroides dicitur. 10. de usu part. cap. 2.

Chorda, ἡ χορδή, dicitur aut intestinum, aut ex hoc contorto, quod fit musicorum chorda, fides, aut tendo, sive musculorum extremitas, ad similitudinem chordæ arcus. 6. aph. 49. & lib. de anat. viv.

Chordapsus, Ileos, seu Volvulus, est tumor eminens in tenuium intestinorum parte internâ, talis, quo videatur intestinum ad similitudinem chordæ obvolutum, vel ab inflammatione, vel obstructione aridi stercoris, graviter egros vomitionibus crucians, aded, ut nonnulli stercus quoque vomere conspiciantur. Hinc stercoraria etiâ dicitur vomitio, & Miserere mei Domine. 6. de loc. affect. 2. Vide Ileos.

Chronicæ ægritudines, i. e. longæ. de part. art. med. cap. 7. Vide Polychronius.

Chrysite, terra est aurea, in quâ, parvis terræ particulis, immiste sunt parvæ auri partes. 5. de simpl.

Chylus, est hordei lactisve cremori analogus succus albicans ex assumptis cibis, vi nativâ calor elaboratus, partim tenuioribus portionibus, partim crassioribus constans, ex ventriculo per mesaraas in jecur, ut ibi sanguinis formâ consequatur, transmittitur. lib. de atra bile, cap. 3.

Chymerhla, i.e. perniones. 6. simpl. Vide Perniones.

Chymosis (quæ & Chemosis) est utriusq; palpebræ distortio, ex inflammatione oborta. 4. de compos. med. loc. c. 4. Est item Chymosis, carnosæ corneæ oculi pellicula inflammatio. lib. de rem. par. fac. Vide Chemosis.

Chymus, est nutrimentum, seu humor ad nutrimentum animalis in hepate preparatus, & ab excrementis separatus. 4. de usu part. Atqui Antiqui saporem vocaverunt Chymum, i. e. liquorem. lib. de ocul. par. 2. cap. 1.

Chymi autem appellatio apud Hippocr. semper humoribus corporis destinata est, ex quibus nos constituimur, nutrimur, & fovemur, sanguini inquam, pituitæ, & duplici bili flavæ & nigræ. Apud Platonem verò, & Aristotelem, gustabilis qualitas quævis nobis insita, Chymus, i. e. sapor, nominatur. lib. finit. med.

Chyphosis, i. e. gibborositas, (quam etiam Chyrtofin, i. e. incurvationem dicunt) est distortio spinæ in posteriorem partem, sicuti in anteriorem partem retractio, Lordosis nuncupatur. Gal. lib. 3. de sanit. tuend. 13.

Chyrtofis. Vide Chyphosis.

Cicatrix, Græcis ὀλὴ, ab Hipp. nunc sumitur pro ipsis ulceribus, nunc pro consolidatione ulcerū, caro callosa, pro cute inducta, ubi vulneris, quod jam coivit, hiatus fuerat. 1. de artic. 56. Particulatim autem Cicatrix oculi appellatur, ubi nigro oculi ex alto ulcere, membrana crassities supervenit, & color albior apparet: quæ cicatrix, si sit & major, & crassior ex ulcere Iridis nata, dicitur Albugo. lib. Introd. cap. 15. Vide Albugo.

Cilia, extrema illa palpebrarum partes sunt, quæ in somnis, clausis oculis simul committuntur. Cilia etiam Tarfi nominantur, lib. Introd.

Cingentes, sive succingentes, membrana, simplices quaedam tunicae sunt, tela araneorum similes, quae totam utramque thoracis regionem internam subcingunt, vocanturque in costis Cingentes, Graecè Hypezochotes: ubi verò recta ad jugulum perferuntur, Intercipientes, Graecè διαφράττοντες, (medium thoracem in latera duo distrahentes) ubi pulmone circumhærescunt, hujus operimentum sunt; quarum basis, supernis partibus septi transversæ obijcitur; inferioribus autem, alia quaedam membrana, huic persimilis substrata, quæ Peritonæi vertex, & principium jure optimo nuncupatur. 6. de anat. adm. cap. 8.

Cinumenus, κινῶμενος, i. e. qui movetur & diversis horis semper accedit ac remittit. Contrarii huic sunt affectus ἐγῶτες, iisdem horis subinde accedentes, & remittentes. Illius species duæ: Anticipans, & longius Emanens, ἀποδυστηνός ἢ ὑστερινός. Ille, qui prævenit, citiusque horas persolvit, Prolepticus, sive Anticipans dicitur; qui tardat, Hystericus, i. e. posterius invadens. lib. de Typis, c. 3.

Cion, Vide Gargareon, & Staphyle.

Cionides, Vide Staphyle.

Circuitus, sive Periodus, est tempus intentionum, & remissionum, in morbis quæ fiunt: ut, Typus est ordo earundem intentionum & remissionum, lib. de Typis, cap. 2. Vel, Circuitus, sive Periodus, est similis ab eodẽ ad idem reditus. 1. aph. 12.

Circumcisio, vel circumsectio, est ablatio cutis glandem contegentis in virili pudendo, quæ cutis præputium dicitur. lib. finit. med.

Circumnuens. Vide Innuens.

Circumocularis tunica oculi est, quæ à crassa meningē orta, toti oculo substernitur, circumtangens, & cir-

cuminduens osseam oculi orbitam, ne huic oculus indatur nudus. lib. de anatom. viv.

Circumossalis membrana, quasi ossium involucrum dixeris, est, quæ singulis ossibus in longitudine circumjicitur. 1. de sem. c. 10. Quam in capite, Pericranion dicimus, lib. de anat. oculi. In costis autem, aliisq³ ossibus ferè cunctis, Perioftion. 8. de anatom. adm. cap. 10.

Cirros. Vide Cornua vulvæ.

Cirfocele. Vide Celas.

Cirros, i.e. varices, aliàs quoq³ venas omnes dilatatas Antiqui sic nominabant. lib. de tumor. c. 16. Vide Varices.

Cittæ. Vide Cittosa.

Cittosa, i.e. vitiosi cibi appetentia, qualis gravidis contingit, 6. de sanit. tuend. cap. 9. Dicitur etiam νίος α, ὃν νίττω, Citta, Pica, & Picatio. 1. de sympt. caus. c. 3. & c. 7.

Claves, sive Jugulum, dicuntur aliàs duæ primæ costæ prope guttur, inter os pectoris, ac spinæ finem, 13. de us. part. cap. 11. Claviculas etiam aliàs vocant, lib. de musc. dis. cap. 12. quas vulgo dicunt furculas, quarum una superior, altera inferior nuncupatur. Recentioribus autem, elatiore in thoracis fine, & quidem in anteriori parte Claves existunt, sic dictæ, quodd sterno, Omoplatas, i.e. humerum firment; is autem finis vulgo furcula superior dicitur; cavitates sub his clavibus summo in thorace quæ conspiciuntur, appellantur Sphage, i.e. juguli, ut sint duæ claves, & juguli totidem, dexter, & sinister.

Clavus, sive Gomphos, est oculi morbus, cum uvea locum suum egrediens, pelliculas superficie-tenus operit, unde ejus forma fit quasi clavus. lib. de ocul. cap. 11. Vide Gomphus, & Myrmecia.

Clunes. Vide Coxa.

Clydones, *symptoma est retentricis facultatis ventriculi, cibos vel non complectentis, vel diminuta, vel vitiosa, undè flatulentia, & fluctuationes cum sonitu succedūt: flatulentia quidē, ubi & cibi flatuosi sunt, & ventriculus non admodum frigidus; fluctuationes cum sonitu, cū vel nihil in eo continetur, quod verti in flatum possit, vel vehementer fuerit refrigeratus. 3. de sympt. caus. cap. 2.*

Clyster, κλύστρον, Latinis idem est quod lavamen, seu ablutio, à verbo κλύειν, quod & lavare significat. Alio nomine Græcis ἐνίησις dicitur, quæ vox Latinis injectionem significat. Medici hujus temporis, Clysteris, & Enematis Græcis vocibus potius quàm Latinis malunt uti. Dicitur etiam Clyisma: undè Diaclyisma, i.e. lavatio ad ulcera, & dentes titubantes, infirmosq;. Dicitur adhuc & Clysmus, de medic. fac. par. cap. 16.

Cnimi, Græcis κνήμη, i.e. tibia, seu alterum ex duobus ossibus tibiæ eodem cum toto membro nomine, alterū verò Perone, seu fibula dicitur. 3. de usu part. c. 9. Vide Crura.

Coadjutrix causa est, quæ solâ suâ virtute morbum efficere nō potest, sed alteri auxiliatur, ut, Venus immoderata articulare morbum promovet, & sanguinis eruptionem remigatio. lib. Introd. cap. 8.

Coarticulatio. Vide Abarticulatio, & Dearticulatio.

Coccyx (vulgo Cauda) i.e. Cuculus, est os, quod subest ossi sacro. lib. de ossib. cap. 12. & 3. de artic. 104.

Coctio, quid sit, hinc nosces, cū facultates quatuor sint, atque inter eas non minimè valeat alteratrix, per quam natura alimentum assimilât, coctio nuncupatur nutritivæ substantiæ permutatio, secundum qualitatem. 4. de rat. vict. 44. Perfecta urinæ coctio est, quando in uri-

nis subsederit aliquid album, & laxe, & aequale, & continuum: Debilis autem coctio est, quando ex aquosa mediocriter subpallida facta fuerit; & quidem si turbulenta apparuerit, & talis permanserit, hac quoque imminuta & debilis coctionis est signum, & rufa etiam ac tenuis, ex eodem genere est. 1. de cris. cap. 27.

Coctionis signa sunt, quæ hominis salutem, non tamē semper per crisin, futuram ostendunt; quo distinguuntur à Decretoriis, quæ salutem hominis futuram, per crisin ostendunt. Coctionis, quæ in spirandi sit instrumentis, sputa; ejus, quæ in venis, urinæ; illius, quæ in ventre, alvi excrementa, indicia, & characteres, statuere oportet. In febris igitur (quoniam venosi generis sunt passionēs, nam & arterias in hoc genere comprehendimus) ad urinas præcipuè attendere oportet. 1. de cris. cap. 7.

Cœcum foramen, est angustius illud aureū foramen, quod ex duobus inæqualibus foraminibus, quibus quinta nervorum conjugatio à cerebro excipitur, oritur, cui subditur labyrinthus quidam, quē natura effecit, musculus temporalibus consulens, nervum durum eis simul & labiis immittens. 9. de usu part. cap. 13. Vide Meatus auditorius.

Cœcum intestinum, sive orbem, sive monoculum, est quartum intestinum in ordine, primum locum inter crassa obtinens. lib. de anat. viv. Quidam illud saccum nominant.

Cœlia, apud Græcos νοδιά, sinè adjectione omnem ventrem seu cavitatem significat. 6. aph. 20. Apud Aristotelem in specie dicitur Cœlia, ventriculus, seu illa tantum corporis partis cavitās, in quā cibus devoratur, & in qua prima concoctio peragitur, sed apud Hipp. nunc cum adjectione superior, & inferior venter significantur, ut superior

sit

fit ventriculus, inferior, omne, quod sub diaphragmate est, spatium latius.

Cœliaca, i.e. ventralis dispositio, communis morbus est ventriculo, & intestinis, in quo materia, nō mordaces, egeruntur, intestinorum ob imbecillitatem, quæ retinere, contenta, ne exiguo quidem tempore possunt, sed ea illic excernunt, perindē ac si grave aliquod onus deponerent, nec secus, quam in stranguriâ, vesicâ (in quâ ob acrimoniam & vellicationem hæc jugiter, quicquid ad eam pervenerit, excernit) contentorum molem ne quidem exiguam sustinere valet. 6. de loc. aff. cap. 2. Vide Lienteria.

Cœli status, i.e. ambientis nos aëris, temporisq; præsentis constitutio. 9. meth. 5.

Cœlomata, sunt rotunda & cava ulcera, bothriis latiora, quæ in oculis, circa Irim nascuntur. lib. Introd. c. 15.

Cœlum, more vulgi, appellat Hipp. aërem, 1. de morb. vulg. 1. qui supra nos est, usq; ad nubium regionem. com. 1. in 1. de morb. vulg. 4. Quæquam verò Cœli etiam nomine, omnis cavitas designari potest, tamē specialiter, Cœlum vocatur superioris palpebræ superficies; sicut Hypocœlum pars inferior, quæ ei respondet: utrumq; tū in Aqua inter cutem, tū in alterius generis malis habitibus, in diuturnis in super hæmorrhoidibus, longis ad hæc in mulierum profluviiis, atq; inchoantibus ophthalmiis intumescit. Sunt qui cœlum oculorum interpretantur cavitates, quæ sub oculis & utrâq; nasi parte cernuntur, quæ tamen Canthi dicuntur.

Cœrulea oculi tunica, eadem est cum Rhagoide, uveâ, & uviformi, procul dubio, ob versicolorem internam hujus superficiem sic dicta. 10. de usu part. cap. 4. Vide Rhagois.

Coin-

Coincidentia, sive **Intercidentia**, Græcis παρέρυσις, est, cum aliundè in aliud vas humor fluit. 7. de anatom. adm. cap. 16. In oculo autem coincidentia est, ubi in meatum, porumve opticū, qui à basi cerebri veniens, oculo videndi facultatem tribuit, humor morbidus ad aperto vel rupto vase incidit, eumq; aded obturat, ut visiva virtutis in oculū prohibito commeatu, animanti, hac ratione, cum dolore visus eripiat. lib. Introd. cap. 15.

Coindicantia, Græcis συνενδεικνύμενα, sunt, quæ præter proprias cujusq; morbi indicationes, ægri ad-hæc virtutem, naturam, ætatem, anni tempus, regionem, consuetudinem, & si quæ sunt id genus alia, considerant, ac à primis indicantibus indigitata præsidia approbant & confirmant. 13. meth. 16.

Cola, dicuntur in homine longiora majoraq; membra, à thorace separata, & quasi dependentia, ut Brachia & Manus, Latinis dicuntur Artus, 3. de usu part. cap. 1. Dicuntur & Cola, ossa narium, cribrosa illa minutissimis foraminibus pertusa, ut in Ccqq. dicitur. Vide Ithmoidea.

Colatoria ossa, sunt narium foraminulenta & cavernosa ossa, quæ à cribri similitudine, Ithmoidea, vel à spongiâ, Spongoidea appellantur; varia enim habent foramina, quo modo & spongiæ: neq; ea habent recta ut cribra, quòd per ea superflua cerebri excrementa transcolantur, & odoratarum rerum species ad processus mammillares rectà adscendunt. 8. de usu part.

Coles, est particula corporis insignis, ad extremitatem colli vesica sita, quâ mares foeminas exuperat. Hanc ipsam Græci ναυλὸν, πέριναϊον, Latini Penem, Colem, Mentulam, Virgam, & Pudendum virile nominant. 5. de usu part. cap. 15.

Colica dispositio, est morbus plenioris intestini diurnus, in quo cruciatus intolerabiles, difficultates spirandi, sudores perspirationesq³ suboriuntur. lib. finit. med. Suntq³ Colicus & Volvulus intestinorum etiam inflammationes, quorum alter tenuioris intestini affectus est, alter plenioris, quare dejectiones includuntur, & flatus intestinis involuti, ed quod exitum non habeant, dolores vehementes, & tormenta concitant, lib. Introd. cap. 13. & 2. de loc. aff. 5. Indè Colica medicamenta sunt, quæ ad sedandum coli dolorem sunt comparata, quæ quidem etsi anodyna sunt, à communi tamen anodynorum formâ differunt, quod propriè Colica sic dicta, aromatibus odoratis, ac urinam cientibus seminibus permiscetur; & quanquã Colica vocentur, non tamen ad Colicos tantum, sed ad omnem dolorem, in quacung³ corporis parte factum, sedandum admoventur: quo factum est, (inquit Gal. initio libri sexti de loc. aff.) ut antidotos omnes dolorem sedantes, veteres Colicos nuncupaverint. Vide Narcotica.

Collectiva medicamenti facultas est, quæ ulcera, & vulnera glutinat. 5. de simplic. cap. 2.

Collectiva inæqualitas pulsuum est, quæ ex inæqualitate plurium pulsuum est constata. 1. de differ. puls. cap. 30. quæ & Systematica dicitur. Vide Systematica.

Colliculum, idem est quod Nympha, nimirum caruncula membranosa, ad fissuram colli matricis exorta, quæ, dum virgo defloratur, rumpitur: quam ipsam, quod multò promineat, Aegyptii in virginibus excidere consueverunt. lib. Introd. c. 10. Atqui plures ex antiquis Anatomicis, tum præsertim Avicenna, dicunt, iis, quæ nondum Venerem sunt expertæ, circa medium colli uteri, panniculum, virginalem dictum, esse, qui hymen, aliis hymenæon, vocatur, & ut ajunt,

ajunt, in primâ coitione rumpitur; quod verisimile non videtur, nam in dissectione virginum non apparet, nec usquam, quod legerim, meminit Galenus; sed potius credendum est, collum ipsum, quod musculosum sit, & nervosum, in iisdem virginibus tantummodò connivere, & angustum esse. Nympha verò est annata Epiphysis, & appendix cutacea, lata, intra pudendum muliebre, supra alarum cōmissuram, ad urinarium meatum sita: gemina autem est, utrinque, scilicet una, data est à naturâ, tùm ornamēti causâ, (nam quod peni virili preputium est, & uva Pharingi, id Nympha utero:) tùm etiâ, ut uterum à pulvere, frigore, & aliis externis injuriis tueatur. 15. de usu part.

Colliquatio, Vide Anastœchiolis.

Collisio, & Contusio, est, cùm exterior superficies percussæ corporis, continuitatem servat, multa verò exigua divisiones in profundo apparuerint; at cùm cavitas aliqua forinsecus apparet, quam rei collisæ percussor impresferit, tunc Illisio, Græcis θλάσις dicitur. lib. de sympr. caus. cap. 11.

Collum uteri, sive os uteri, est illud, quod intus est, ubi uterus desinit, collum verò incipit; quod magis propriè os uteri diceretur: nam altera colli extremitas, quæ mulieris pudendo conjungitur, non uteri, sed ipsius colli os non sinè ratione diceretur. 5. aph. 46.

Collyria, Latinis Medicamenta vocantur, quæ oculis admoventur, Græci κολλύρια nominant: hæc verò duum generum sunt; quædam enim liquida sunt, & passim collyria nominantur; quædam arida, & hæc barbarâ voce dicuntur sief: Græci hæc vocant ὑγρονόσσια; illa verò ἰσχυρονόσσια. lib. 9. simpl. & 4. de comp. med. loc. cap. 5.

Colobomata, Græci vocant partes, quæ in labiis aut
narium

narium alis, aut auribus deficiunt, & decurtantur. 14. meth. cap. 16. Aliàs curta vcantur, & mutila.

Colon, intestinum quintum in ordine, secundum aurem ex crassis. 6. de anat. adm. cap. 9. Dicitur verò Colon, i.e. laxius intestinum, quod excrementa ex chylo segregata, suscipit, lib. Introd. c. 11. quod & pingue intestinum appellat Galenus, 2. de sympt. caus. cap. 5. Unde propter sui latitudinem id ipsum solum, quidam ventrem inferiore appellant. 4. de rat. vict. 112.

Columella, *κίον, κίονος*, & Columna, sive Gargareon, & Uva, *σταφυλή*, caruncula est membranosa, in fine palati, à faucibus dependens, vocis instrumentum, quod biante ore conspicitur. lib. finit. med. Vide Gargareon, & Staphyle.

Coma, i.e. sopor, sive propensio & delatio in somnum, est, cum vigilare agri nequeunt, habentes oculos conniventes, & alto somno detinetur. com. 1. in 3. de morb. vulg. 7. Vide Caros. Hippocrates verò Cataphoram, omnem ad somnum propensionem, Coma appellat; est enim in somnum delatio, nequeuntibus infirmis, vigilantium munia obire, sed tùm palpebras claudere cupientibus, tùm dormire sperantibus: cum autē agri clausis palpebris dormire nequeunt, sed plurimum vigilant, Coma *ἀγρυπνῶδες*, i.e. pervigil & non somnulosum vocat. com. 1. in 1. prorrhet. 1. Aliquando Coma pro marcere sumitur, 4. de san. tuend. cap. 4. Marcere enim, torpere significat, atq; languore & inertia teneri. Unde Celsus, de Lethargo, dicit: Marcere est & inexpugnabilis dormiendi necessitas, & comatosos proin, somnolentos, & inertes appellat. Vide Sopor.

Comitialis morbus, est omnium corporis partium, ex temporum intervallis facta convulsio, cum mentis ac
sen-

sensuum oblatione: aliàs Epilepsia dicitur. 3. de loc. aff. 7. & de differ. morb. cap. 5. Quin etiam morbus magnus, morbus facer, affectus puerilis, & Herculeus dicitur. Puerilis quidem, quoniam pueritia tempore sevit; Herculeus, non quòd Hercules eo vexatus fuerit, sed quidam, morbi sevitiam exprimere volentes, nomen hoc magnitudinem significans, Herculeam effinxerunt. com. 6. in 6. de morb. vulg. 7. Dicitur quoq; puerilis, cum à pueritiâ incipiens, ferè semper consenescat. Latini Comitalem dixerunt, quòd in comitiis, & hominum frequentiâ maximè, egros corripiat.

Commisura, quæ & Sutura dicitur, Synarthrosis species est, & ossium compositio, ad confuturam rerum similitudinem, quæ & serrata dicitur, cum, serræ modo, contrario occursum congregiuntur, ubi dentata alterius partes, in alterius sinus committuntur. lib. de ossib. in præm.

Communis, sive universalis morbus, Græcis πᾶσι νοῦν & est, qui multos in communi invadit: cui oppositus est morbus, qui dispersus. sive Sporadicus dicitur, qui aliquos separatim tantum invadit. Inter cōmunes, alii sunt publici, quos vocāt Endemios, sive collactaneos, & vernaculares, in quo genere Scorbutus est; alii vulgares, seu publicè grassantes, quos Epidemos, seu Epidemios vocant, ut est Pestilentia. com. 1. in 1. de morb. vulg. in argumento. Vide fusiùs in verbis, Pandemus, & Epidemus.

Communis, sive media cubiti vena, est, quæ communis ei, quæ humeralis nominatur, & ei, quæ per axillam ad manum fertur, 2. de loc. aff. cap. 7. quæ & mediana, & corporalis, & purpurea, & nigra dicitur. lib. de anat. viv. Vide Media.

Compages, capitis sunt suturae, quâ parte ossa capitis inter se mutuo cōpacta, coaptantur. Calvaria enim ossa aded exquisitè inter se conjunguntur & coaptantur, ut ipsorum conjunctio per harmoniam facta, merito sutura, ex pannorum, qui consuuntur, similitudine, dicatur. com. 3. in lib. de iis, quæ in medic. sunt. 36.

Complexio febrium est, quando duæ febres simul agrotum corripientes, horis differentibus invadunt: confusio autem, quando eodem tempore inceperint. 2. de differ. feb. cap. 8.

Compositus morbus est, qui ex pluribus accessionibus, & remissionibus, sive ejusdem generis, ut duarum vel plurium tertianarum, quotidianarum, vel quartanarum; sive diversi generis, ut unius tertianæ cum quotidiana, vel cum quartana, constat: cui oppositus est morbus simplex, unam genere incensionem & remissionem faciens. lib. de Typis, cap. 3.

Compressio, est laterum cujusq; vasis adstrictio, & angustatio per coalitum, 1. de caus. sympr. cap. 5. differens ab obstructione, (quæ & oppilatio dicitur, 2. de caus. puls. cap. 1.) quippe hæc est meatuum nostri corporis interclusio, ex aliquo tumore, vel corpore interposito, non per coalitum, lib. de diff. morb. c. 7. Illa autem imprimis ab externis oritur causis. E. G. Compresso extrinsecus nervo, angustia meatui ejus contingit. 1. de sympr. caus. cap. 5. & de differ. morb. cap. 5.

Compunctio, est perforatio, quæ acu fit suffusis. 10. de usu part. cap. 6.

Concava vena, est vena porta. 5. de loc. aff. cap. 3. Vide Vena porta.

Conceptio, sive seminis comprehensio, motus est

quidam contractionis uteri, dum semen in se ipsum ejaculatum, avidissime manu veluti quādam amplectitur. lib. An animal sit id, quod utero geritur? cap. 2.

Concoctio, est ciborum à ventriculo, in convenientem & familiarem animali qualitatem alteratio: quæ concoctio, si tarda, & aegrè, longioriq; justo tempore fiat, **Bradypepsia**; si autem in alterā qualitatem, nec in eam, quæ sit secundum naturam, fiat mutatio, **Dyspepsia**; si verò nulla fiat alteratio, sed quales sunt assumpti cibi, tales in omni qualitate manent, & dejiciuntur, dicitur **Apepsia**. lib. de sympt. diff. cap. 4. Alteratio ipsa, usque-quò alimentum, in similitudinem partis, quæ nutritur, transmutatur, **concoctio**; ubi verò jam parti apponitur, nutritio dicitur. 8. de compos. medic. loc. cap. 6. **Concoctio eorum**, quæ præter naturam sunt, est ipsa maturatio morbi; at ipsa **concoctio**, in coquentis substantiam deductio quædam est ejus, quod concoquitur. com. 2. in 1. de morb. vulg. 44.

Condensantia medicamenta omnia, frigida sunt, & aquea, quare poros cutis, & meatus, in unoquoq; corpore condensant, & contrahunt. Caterùm, instrumentum undiq; totum constringere nequeunt, unde & **Pycnotica** dicuntur; differuntq; à ficcantibus, quòd frigida & sicca sint; ab obstruentibus, quòd frigida & crassæ sint substantiæ. 5. de simpl. cap. 14. Vide **Obstruentia**.

Condyloma, quasi dicas **Nodus**, est extuberatio, quæ cum phlegmone in rugosa contrahenteq; sese ani parte exsurgit. lib. finit. med. quæ & **Thymus** dicitur, 14. meth. c. 3. Est quoq; **Condyloma**, carnis excrescentia callosa in digitis manuum & pedum, in sede item, ac uteri ore coalescens: sic dicitur tumor hic, quòd prominet in modum articuli, quem **Condylon** appellant; sed hic affectus in sede præ-

præcipue oritur, rugâ aliquâ corporum in ano reduplica-
torum insurgente, ac præter naturâ intumescete. Quum
enim sinuosus sit anus, rugas coagmentatas habet; ubi ve-
rò amplius intumuerit, tunc fit Condyloma, & aliquando
citra inflammationem fit, & molle est; quandoq; verò cum
inflammatione, tumq; durum est, & dolorificum. Gal. l. de
osib. cap. 5.

Condylus, i.e. Tuberculum seu Nodus, est gibba os-
sum radii & cubiti explantatio, quæ carpo dearticulatur;
ob id etiam aliquando Capita dicuntur, & Apophysis,
2. de usu part. cap. 2. Dicuntur & Epiphyfes, i.e. ossium
capita; ubi enim os medullam habet, ejus finibus, utring;
caput, instar operculi cujusdam, ut plurimum vides adna-
sci. 10. de usu part. cap. 18. Vide Nodi, & Articuli.

Confusio februm. Vide Complexio.

Congelationes, passionēs omnes dicuntur, quæ à cau-
sa frigida, & vehementibus algoribus ortum duxerunt. lib.
de differ. morb. cap. 5. In specie Catalepsin & Nervorum
rigorem sic vocitant.

Conia stacte, i.e. Lixivium destillatum. 1. ad Glauc. c. 3.

Conjectura artificiosa est, quæ propè ad veritatem
accedit. 1. de cris. cap. 9.

Conjunctiva oculi tunica. Vide Rhagois.

Conjunctiva & continens causa. Vide Continēs.

Conoides corpus, sive Turbinatum, quod & Co-
narium dicitur, cerebri particula est, veluti firmamentū
quoddam, venis, à magna vena cava propagatis, adjacens.
lib. 9. de anat. adm. cap. 3. Ejus substantia glandula est, figu-
ra cono perquam similis; unde ei nomen quoq; est imposi-
tum: utilitatem autem ejus eandem esse existimant ali-
qui, quæ est Pyloro ventriculi; nam ut hunc confirmant

esse glandulam, prohibereq₃, ex ventriculo cibum prius, quàm is coctus sit, in tenue intestinum transsumi; ad eundem modum & hanc glandulam Conarion, in principio meatus ejus, qui spiritum ex medio ventriculo in Parencephalidis ventriculum transmittit, constitutam, custodem quandam esse ajunt, & velut Oeconomum, non plures spiritus de sese emittens, quàm quantum spiritus mitti oportet. 8. de usu part. cap. 14.

Connutritus morbus est, qui longinquo tempore hominum corpora infestat, atq₃ his veluti connatus est. com. 5. in 6. de morb. vulg. 6.

Consistentia urinæ, hujus est tenuitas, & crassitudo. 9. meth. 4. Eandem Arabes vocant Urinæ substantiam.

Consistentia, seu status Paroxyismi, ἀκμῆς, est illud tempus accessionis febrilis, cùm jam caliditas materiam convicerit, & usq₃ aded calor augetur, ut non modò locum exurat, in quo est putredinis focus, sed etiam continuatim per totum corpus dispergatur; deniq₃, cùm jam ad summum fervoris devenerint humores accensi, id accessionis tempus consistentia appellatur; tunc verò universum laborantis corpus, igneum redditur, extensâ per totû animalis corpus æqualiter caliditate. 2. de differ. febr. c. 11. Vide Ascensus morbi.

Constitutio, κατὰ μέρος, luxati corporis in propriam sedem collocatio est, restitutio, & repositio. 3. de fract. 38.

Contenta, ἰχόμεινα. Vide Continentia.

Contentiva causa. Vide Continens.

Contentus pulsus, idem est ac vehemens. 3. diff. puls. 5.

Continentes causæ (quæ continuæ, & conjunctæ dicuntur) sunt, quæ cùm præsentibus sunt, morbi quoq₃ adsunt; cùm tolluntur, morbi etiam discedunt: aut (ut

Scholis dicunt) quibus positus, ponitur; sublatis verò, tollitur morbus: ut, spina, telum; opponuntur Evidentibus, seu Procatarteticis, & Antegressis causis, quæ postquam adversam valetudinem creârunt, secedunt & separantur ab ea: ut, labor, Solis ustio, cruditas. Concausæ sunt, quæ affectum, suâ vi, solæ generare licet possint, generant etiam, & alteri coherentes, unde Synætia dicuntur: ut, lapis in vesica, & inflammatio; nam ambæ urinae suppressionis causa sunt, licet per se, earû utraq; illam generare possit. Coadjutrices causarû partes sunt, quæ suâ virtute morbum efficere non possunt, sed alteri auxiliantur; ut libido articulare morbum promovet. Præcedens causa interna est, quæ ab evidentibus vel preparantur, vel coadjuvantur; ut, sanguinis abundantia, nutrimenti soboles est. lib. Introd. cap. 8.

Continens febris. Vide Synocha febris.

Continentia, *ἡχερτα*, vocat Hippoc. solida corporis membra, ut quæ comprehendant, regantq; humida; Continentia autem appellat humores, ut qui à solidis comprehendantur, quæ cum impetu feruntur substantiæ, spiritus; si quidem in omnem corporis partem momento temporis, & facile, & citra impedimentum perveniunt. lib. de trem. & palp. cap. 5. Continentes ergo partes erunt, E. G. corpus solidum cordis, arteriarum, & aliarû partium carvarum, atq; aliquid suo sinu cõcludentium, quæ sunt bases, radices, & fundamenta aliarum; in ipsis enim singulis triplex adest substantia, verè ipsa solida, circumfusa alia, carnosâ munies, & fovēs, & per utraq; sparsa spirituosâ.

Continua febris, *συνεχὴς πυρετός*, est, quæ ad infestationem, antequàm ex toto solvatur, non devenit, et si declinatio aliqua & remissio sensibilis appareat; cùm verò

declinatio aliqua sensibilis non fiat, semper verò à primo principio febris, usq; ad crìsim similis perseveraverit, erit febris deurens, ardens, homotonos, Causon, à continuis, solà acutie differens, (quæ enim idem cum genere nomen sortiuntur, atq; in pluribus particularibus accessionibus continentur, continuæ vocantur) quæ & Synocha appellatur; alia quidem Epacmaistica, sive Increscens, sive Anabatica; alia Homorona, sive Acmaistica, in eodem semper vigore & tenore perseverās; ultima Paracmaistica, sive decrescens. 2. de cris. 6. & 2. de diff. febr. cap. 2. Bisariam Veteres Continui nomine, & Intermitteutis appellatione uti videtur; Nam Continuas vocant febres quandoq; omnes, quæ nullum tempus liberum habet accessione; quandoq; non omnes, quæ accessione nunquam vacant, sed solas præcipuè illas, quæ omni carent, usq; ad iudicium, mutatione. Ita Intermitteutes interdum appellant illas solas, quæ accessionem perpetuam non habent; interdum eas, quarum equidē non recedit accessio: insignes autem sunt mutationes singularum accessionum, in initio, incremento, vigore, & remissione. At Medici quidam iuniores, quæ non magnam mutationem habet, non Continuas, i.e. Synochas, sed Synochos nominant; Continuas autem has solas, quæ non veniunt ad integritatem, & intermittunt, singulis accessionibus, has vocant Antiqui interdum Continuas, interdum Intermitteutes; nam sunt recte inter Continuas & Desinentes in integritatem, media. Proinde recte, ubi cum Synochis conferuntur, Intermitteutes appellantur; cum iis autem, quæ ad integritatem veniunt, Continuæ. com. 3. in 1. de morb. vulg. 2.

Continui solutio, ἀπὸ τῶν συνεχῶν. Vide Unionis solutio.

Con-

Contractiones. Vide Ganglia.

Contraindicare. Vide Endixis.

Contraria, apud Hippoc. & Medicos sunt, nō in corporum modò qualitate, ut calidum frigido, humidum sicco; sed in quantitate etiam, ut magnum parvo, laxum denso, plenū vacuo, quæ Aristoteles opposita vocat; & hoc sensu dicunt Medici, curationem fieri per contraria. 11. meth. c. 12.

Conturbatio, seu Perturbatio, ταράξις. Vide Taraxis.

Contusio, θλάσις est, cū grave aliquid, supra corpus durum aut molle incidit, ac id ipsum collidit, ita ut carnea pars disrumpatur; cū verò caro contusa, in loco sub cute, cruorem contraxerit, sinè ulla cutis divisione, exuccatio, sugillatio, effusio, nigror, & nigritia affectio hæc dicitur; venas tamen exiguas, simul cum carne rumpi, ac discindi in huiusmodi sugillationibus, est perspicuum. 3. de his, quæ in medic. fiunt. 30. lib. de tumor. cap. 105. & de compos. med. per gen. cap. 3. Vide Collisio, & Unionis solutio.

Convexa hepatis. Vide Sima.

Convulsio, κράσις, cū omnes arbitrarii motus, musculis obeantur, quando hi, ad sua ipsorum capitâ retracti, unamquamq; particulâ, cui inseruntur, simul attraxerint, si affectus aliquis p. n. in tensionem musculos ducens, iisdem acciderit, hunc motus sequitur, similis quidem naturali, sed citra voluntatem, & vocatur affectus Convulsio, lib. de trem. & palp. c. 8. quam convulsionem Celsus lib. 2. cap. 1. vocat nervorum distentionem; quæ vel universalis est, (ut, cū totum corpus curvatur, aut in anteriora, & dicitur ἐν προδόντων, aut in posteriora, ὀπίσθοντων, aut in utramq; partē equaliter, τέτανος, quibus additur & ἐκταλξία:) vel particularis, aut in musculis oculorum, & di-

citur *σφαδισμός*, aut *mandibula*, *τενσμός*, aut *oris*, *νωμός* *πασμός*, aut *penis*, *σπυγίαις*. Vide *Rhegma*, & *Unio-*
nis solutio.

Convulsio canina, *πασμός νωμός*, est affectio mu-
sculorum maxillarium, per quam, os, nasus, oculus, labrum,
atq; adeo dimidia faciei pars, in obliquum intorquetur.
Alias vocant *oris torturam*. 4. loc. aff. c. 2. versùs finem.

Convulsio comitialis, aliud nihil est quàm *Epile-*
psia. 5. de loc. aff. 5. & 3. de loc. aff. 7.

Convulsivum affectū vocat *Galenus*, qui ante mor-
tem, necessariò convulsionis habet symptoma. 1. de prasag.
ex puls. c. 4. & com. 3. in 1. prorrh. 69.

Convulsivi, & *vibrati pulsus* sunt, qui naturali
sede relictâ, unum locum non tenent, sed sursum atq; deor-
sum agitantur. In vibratis, arteria quadam partes, quasi
jacula superiora petere, quadam demitti uno eodemq;
tempore conspiciuntur. 1. de diff. puls. c. 28.

Convulsivus pulsus est, in quo ad utrumq; terminū
tenditur arteria, quē cōvulsio sequi solet. 2. de caus. puls. 12.

Coopertoria cartilago. Vide *Cricoide*.

Cophosis, *νώφωσις*, i. e. *surditas*, est abolita auditus
actio, inducta ab iis, quæ vel ipsam audiendi facultatem,
ejusq; primum instrumentum, (quod est animalis spiri-
tus, in aures affluens) aut ipsius organa, quæ natura ad au-
diendum comparavit, ladunt.

Copos, i. e. *lassitudines*, *Græci* vocant affectus, ex
multo vehementive motu corporis vel totius, vel parti-
cularum, quæ justò plus laborârunt, obortos: undè *Acopa*
medicamēta, quæ talem lassitudinem tollunt. 7. de comp.
med. per gen. cap. 11.

Copula, *Ligamentum*, *Græci* *συνδεσμός*, terminus

musculi est, sensu omni carens, durior & crassior nervo, & tendone, usum eum, quem vel nomine ipso pra se fert, exhibens; differt à Nervo, & Tendone, quòd Nervus, à cerebro, vel spinali medullâ exorsus, sensum aut motum membris inducit; Tendo verò finis musculi nervosus est, ex Copula, & Nervo prognatus. 1. de placit. cap. 9. com. 1. in 6. de morb. vulg. 2. Vide Nervus.

Cor, *καρδιά*, est viscus, carne compactâ, durâ, fibrosâ, cavâ, constans, principium vitalis facultatis. Sunt qui musculum esse definierunt; verum & minùs rubet quàm musculus, & longè durius, spissius, solidiusq; est, multoq; aliter fibris intertextum; fibris namq; validis & rectis caro ejus circumfusa est, (undè & Parenchyma, nomine quoq; aliis visceribus communi, appellatur) à basi ipsius, in mucronem tendentibus, arteriarum & caloris nativi, quo animal regitur, quasi fons & domicilium, in medio omninò thorace situm, praesertim suâ basi, quam caput ejus nominant, mucrone ad partem levam vergente. 6. de usu part. & 7. de anatom. adm. Vocant adhuc & Cor, Veteres omnes, os ventriculi, propter affinitatem maximam, quæ illi est cum corde, & mutuum consensum: ut ostendit Gal. 2. de placit. & 5. loc. aff. 6.

Coracoide. Vide Ancyroide, & Acromion.

Coryphe. Vide Vertex.

Cornea, sive Corniformis, (*μεμβράνη τοῦ ὀφθαλμοῦ*) oculi tunica est, tenuis, dura, & densa, quæ à dura cerebri meninge profisciscitur, & tenuem oculi tunicam choroidè in orbem amplectitur, quæ & Ceratoide, 10. de usu part. cap. 3. quin & Cærulea dicitur, estq; tunica secunda oculi, h. e. proximè subjecta, adnata tunica, quam *ἐπιπερωτα* appellant. Vide Cærulea, & Ceratoide.

Cornicularis processus. *Vide* Ancyroide.

Corniformis. *Vide* Cornea, & Ceratoide.

Cornua, κέρατα, numerantur inter affectus præter naturam: sunt autem duæ eminentiæ osseæ, quæ prope tempora nascuntur; dicuntur aliàs Dionysisci: sunt & cornua vulvæ, sive sinus, duo processus insignes, à lateribus vulvæ, ad utraq; ilia, quos alii vocant Cirros. l. de vulvæ diss. c. 3. *Vide* Apices matricis.

Corona oculi. *Vide* Iris, & Stephanos, ἵρις, & στέφανος.

Coronale os, ut Coronalis futura, στεφανιαία παρὰ, & στεφανιαίων ὀστέων, sunt futura anterior crânii, ab uno temporum osse ad alterum transversim perveniens: sic etiam os frontis, coronale dicitur, quoniã aut eâ capitis parte, ubi id ipsum consistit, coronæ gestari solent, aut quod in orbem, frontē cingant. 9. de us. part. 2. de ossib. c. 1. 6. de anat. adm. cap. 1. Indè & Coronalis vena, στεφανιαία φλέψ, propago est, veniens à magno trunco venæ cavæ sursum ascendenti, cingens cordis basim in modum coronæ, eidemq; alimentum advehens. Est & alia venæ cavæ propago, quæ Coronalis stomachica, στεφανιαία στομαχική appellatur, quæ à ramo splenico venæ cavæ proficiscitur, & ad stomachum effertur, ibiq; bipartito ramo, majore, ceu coronâ, stomachum totū cingit, minore ad piloron descendit. Quemadmodum autem à venâ cavâ coronalis hæc vena proficiscitur, sic à magnâ arteriâ statim, ubi à corde orta est, arteriæ duæ coronariæ prodeunt, major sub valvula dextra, minor sub postica, quæ in cordis superficiem, & ejus partem crassiorem, perindè ac venæ, distribuuntur. 7. de anat. adm.

Coronæ, sive Coronon, est extremitas ossis, hujusve pars ultima, quæ in mucronem desinit. l. de ossib. in proœm. Undè omnes apophyses rotundas appellant Coronas, vel

Coronos, κορώνη, κορώνον : sic autem dicitur, quia τῆς κορώνης, h.e. cornicis rostro similis sit. Quæ autem apophysis in caput crassum & rotundum definit, non Corone, sed Auchē, Græcis ὠχὺ, nominatur. 2. de usu part. c. 14.

Corrugatio pupillæ. Vide Tabes oculi.

Coryza, gravedo, κόρυζα, tenuis & incoctus humor aqueus est, qui per nares secernitur; quæ ipsa defluxio, cum per palatum fit, dicitur catarrhus. 2. progn. 49. Est autem hic humor, non ὠρεὺς, sive crudus, sed ἄπειρος, h.e. liquidus & tenuis. Celsus autor est, & destillationem, & gravedinem κόρυζας Hippocratem appellasse. Catarrhum appellamus, cum quod supervacuum est in cerebro, in os defluit; Coryzam, cum in nares. Bronchos autē sive rautitas catarrhis supervenit, faucibus scilicet humore imbutis; quod si in Gargareonem fluxio decumbit, quam ex similitudine Græci staphylen, i.e. acinum vocant, in ea gignit, aut aliās eam in tumorem attollit; at si glandulas, antiadās, aut eas, quæ iis proxima sunt, Paristhmia. 3. de sympt. caus. cap. 4.

Costa extrema est, non parva illa reverà spuria, quæ ab aliis discedit, & carnosæ parti septi transversæ obducta est, sed ipsi proxima, cui manifesta jam membrana tenuis, intus subrenditur, ei continua, quæ omnes costas subcingit. 5. de anat. adm. 3.

Costæ, ossa pectoris sunt, quæ à collo toto, ad ilia usq; ex anteriore parte, ad utrumq; latum protenduntur. lib. Introduct. cap. 10. & 3. de artic. 37. Duodecim ut plurimum numero sunt, ex quibus superiores septem simpliciter πλυστα dicuntur, quinq; verò reliquæ costæ inferiores, πόδα vocantur, h.e. spuria, & illegitima, quia imperfectæ sunt.

Coryle, κορύλη. Vide Articulus, & Acerabulum.

Cory-

Coryledones, *νοτυλιδόνες*. Vide Acetabulum.

Coxa, *quæ & Ischion*, magnum femoris ossis caput est, Gracè ἰχίον, i.e. coxa appellatur, veluti cavitas ejus, acetabulum dicitur, 2. de fract. 70. Unde affectus fit, qui Ischias & Coxendix appellatur. Indè Ischiadici & coxarii, i.e. coxa morbo laborantes. 7. de compos. med. per gen. cap. 16. Ischion aliquando significat, ligamentum ipsum, quo femur coxendicis acetabulo colligatur; interdū verò ipsum articulum; quin & Ischia ἰχία dicuntur à quibusdam, partes carnosæ ex utroq; sacri ossis latere, (aliàs οὐαφία à Gracis, à Latinis clunes appellantur.) Os autem coxendicis, est apophysis ossis sacri, ad coxendicis acetabulum undiq; pertinens. Os enim sacrum, quâ parte femoris caput ei inseritur, Ischion vocatum est.

Cranium, Calva, Calvaria, κρανίον, est os capitis crassum, rarum, rotundum, ossibus septem compactum, futurisq; veris tribus, coronali, lambdoideâ, & sagittali, distinctum, cerebrum continens, atq; utramq; meningem ambiens, sic dictum, quodd quasi κρανίον, i.e. galea cerebro adjaceat. 8. de usu part. cap. 9.

Craſis, Gracè κρασις, & κρείσις, temperiem significat. 1. de natur. hum. 12.

Crassa membrana. Vide Membrana dura.

Crassa vena, i.e. humeralis. 1. de artic. 53.

Crassus pulsus. Vide Gracilis.

Cræa. Vide Tibia.

Creber pulsus est, cujus, intermedia quietis est breve tempus; rarus, cum longum. 4. de puls. ad Tyron. c. 4.

Cremaſteres. Vide Testes.

Cremor, idem est ac chymus, χυμός. 3. de natur. facult. cap. 4.

Cre-

Cremor ptisanæ est, ubi à decoctione, quis ptisanam colaverit, deinde cremorem, à decocti parte aquosâ separaverit. 1. acutor. 26.

Cricoides cartilago, est laryngis cartilago, basim annuli figuram representantem efficiens; tribus enim cartilaginibus constat larynx, quarum prima maxima, cujus convexum extrâ protuberans pomum Adami vocatur, concavum intrâ, quæ dimidium totius capacitatis laryngis comprehendit, ad formam scuti, unde hanc Anatomici Thyroidem, i.e. scutiformem, alii peltalem, quod peltæ formam agat, nominant. Posterior, quæ basim Cricoidem, i.e. annuli figuram imitantem, efficit, postremâ ipsius asperæ arteriæ cartilagini, literam Z imitanti, incumbit, scutiformi verò in priori sui ipsius parte subjacet, (quæ & Cricoides, Cymbalaris, & Coopertoria dicitur.) Reliqua ab his cartilago, tum positione, tum magnitudine tertia, in suprema Cricoidis, quæ & Innominata dicitur) cartilaginis parte sita est, gutturniis, insundibulisq; quas Arytænes vocant, similis; unde & Arytænoides dicitur. Quæ autem à radice linguae exoritur, quam Epiglottida, quasi superligulam dixeris, non est bronchi propria. lib. de vocal. instr. diss. cap. 4. & 7. de usu part. cap. 11. & lib. de anat. viv.

Crimnoides urina, *νεφρικός*, cujus sedimenta crimnoidea sunt, i.e. talia, quæ speciem furfuris, vel spumæ referunt, significantq; sanguinis cremationem, si rubea sedimenta sunt; vel solidorum nimiam liquationem, si alba. lib. de urinis, cap. 29. Vide Hypostasis.

Crisis, sive Judicium, sive Judicatio, *κρίσις*, apud aliquos, est subita, in morbo, in melius pejúsve, ad vitam aut mortem, mutatio; apud alios est ea, quæ antecedit iudicium,

cium, humorum agitatio; apud alios, integra totius morbi solutio; apud alios, illa tantum morbi solutio, quæ ad bonum fit. 1. de cris. cap. 1. Sed ea, quæ repente fit, per excellentiam Crisis dicitur, & à naturâ, ea, quæ præter naturam sunt, superante, perficitur. 3. de cris. cap. 1. Judicatio per morbes, de foro translatitiâ appellatione, dicta est, significans, precipitem in morbo mutationem, cum quadam evidenti evacuatione, vel abscessu; quæ quadrifariam existit: aut enim statim vindicantur à morbis, aut magnam obtinent in melius mutationem, aut statim moriuntur, aut multò deteriores evadunt. Itaq; duas primas judicationes, absolute proximas duas autem magnâ ex parte cum adjectione, malâ aut pravam judicationē, quandoq; verò, sine adjectione, simpliciter sic vocat. 3. prognost. 1. Utitur item Hippoc. crisi pro λύσι, i.e. solutione morbi; ut, in progn. optimam eam dicit esse urinam, in qua per totum morbi curriculum, donec ipse judicatus sit, subsidet album, leve, & æquale. Tertia adhuc est ejusdem negotii significatio, quâ significat crisis, motum vehementem naturæ pro cuiuslibet rei molestæ depulsione, secundum quam non modò morbi, sed & conceptiones, & abortiones, & partus, & omnino quæcunque magno conatu naturæ indigent, dicuntur judicari & per crisin solvi. lib. de sympt. par.

Crisis a lima est, quæ à nullo dierum indicantium aut signo, in illis apparere solito, prædemonstrata fuerit & indicata, 3. de cris. 10. ubi huiusmodi crisis perhibetur. Periculosa, quæ cum gravibus symptomatis accedit: Infida seu incerta, cum morbi recidiva contingit; Obscura, quæ citra excretionem, vel abscessum evidentem evenit: Absoluta crisis autem est, quæ in morbo nihil facit reliqui. 1. dier. decr. cap. 2.

Crisis imperfecta, quæ non omninò à morbo liberat, 3. cris. 7. sed ex morbo quippiam relinquit. 1. dier. decr. cap. 2.

Crisima signa, i.e. decernentia & judicantia. 1. aph. 12.

Crithe, i.e. Hordeum, sive Hordeolum. sive Posthia, & oculorum tuberculum. de remed. par. fac. cap. 10. Vide Hordeolus, Posthia, Chalazia.

Crotaphite, $\kappa\rho\omicron\tau\alpha\phi\omicron\iota\tau\alpha$, i.e. temporales muscoli, qui maxillam inferiorem movent, & sursum trahunt. lib. de musc. diss. cap. 6. Vide Manducatorii.

Cruda urina. Vide Aquosa.

Cruditas, $\kappa\rho\upsilon\delta\iota\tau\eta\varsigma$ est, cum ventriculus, vel proprio morbo, vel vitiosis humoribus in ipso accumulatis, vel pravam alimentorum ob qualitatem, ut nidorosam, acidam, foetori, aut putredini, aut corruptioni obnoxiam, aut ex preparationis modo, ad hujusmodi aliquam dispositionem deducta, cibos non amplectitur, sed in ipso corrumpi eosdem finit. Differt ab Incoctione, quæ est rerum, quæ non possunt concoqui, ut acinorum, & omnium, quæ omninò integra, & omninò non mutata rejiciuntur. 1. de loc. aff. cap. 3.

Crudus humor, $\kappa\rho\upsilon\delta\omicron\varsigma\ \chi\omicron\upsilon\mu\omicron\rho\omicron\varsigma$ est, cum alimentum, suam naturam, in ventriculo, hepate & intestinis quàm diutissimè servat, nullà alteratione, ex particulâ, quæ ad ipsum concoquendum est destinata, susceptâ; vel, cum transmutatio fit, sed in peregrinam qualitatem. 8. de compos. med. loc. cap. 6. Humor crudus, pituita crassior est, ac minùs flatulenta, qualis in urinis subsidet, iis præferim, quæ ex edacitate sedimen multum, fabaceæ puliculæ simile, obtinent: quin & corporibus iis, quæ ab exercitatione abstinuere, cibis verò quàm plurimis, ac balneis post sumptos cibos utebantur, sæpè ejusmodi humor confertim per alvum descendit, sed & unâ cum hoc humore, perindè

ac cum pituitâ, decolor quadam in toto corpore subest albedo, qui crudus humor inappetentes homines efficit. lib. de multitud. cap. 11.

Crura, Græcis à currendo, (quod crurum ministerio curramus,) aut à Græco verbo κέρνω, quod inter ingrediendum hūc atq; illūc ferant, Græcis κνήμῃ & κνήμῃ dicuntur extremæ corporis partes, quæ thoracem medium, & inum ventrem prætergrediuntur: ut, quicquid prominet ultra os sacrum, & carnosos musculos ibi subiectos infernè, usque ad pedes, id crura dicantur. Dividit hæc Galenus in partes tres, eis κνήμῃν τε, κνήμῃν τε, κνήμῃν τε. Κνήμῃν etiam dicuntur tibiæ in rota, à similitudine tibiæ in animalibus. lib. Introd. cap. 10.

Cryforchis, κρυφορχῆς, i. e. testiculi, aut testiculorum occultatio, vel recessio. lib. finit. med.

CrySTALLINUS humor, κρυσταλλοειδὲς ἵγρον, & CrySTALLOIDIS, (qui glacialis adhuc dicitur, quod concretam glaciem imitetur, 7. de placit. cap. 5.) est humor albus, splendidus, lucidus, non omnino rotundus, sed aliquantulum planus, in medio oculorum situs, primum depressus & videndi instrumentum, qui per διάδοσιν, i. e. transsumptionem (non per venam quidem, quæ nulla inest) vitreo humore nutritur. Cui adheret vitreus oculi humor, qui & Hyeloides dicitur, quiq; quanto crassior & albior est sanguine, tanto à crystallino humore, humiditate, atq; albedine superatur: subest huic Albugineus, albo ovi similis, quem Hydatroidem, quod aquæ sit similis, vocant. 10. de usu part. cap. 1. lib. de ocul. cap. 2. & Introd. cap. 11.

Ctir, κτήρ, muliebris pudendi sinus, pilis decoratus, appellatur: quæ sinum ambiunt, κτήρῃν, i. e. ala vocantur. 15. de usu part. c. 3.

Cubi-

Cubitus, (ἀγκών, ἀγκυρὸς, ὀλέκρانون, πήχυς, ὠλένη) est os, quod inter Humerum, & Carpum, quod brachiale dicitur, situm est; ejusdemq; partis os grandius. Cubitus item dicitur, qui alteri subest ossi, quod Radius nominant, lib. de ossib. cap. 17. quem cubitum Pechyn, i.e. ulnam dicunt, 2. de usu part. 2. Clavius: Cubitus, Pechys, πήχυς, seu ulna, Arabibus focile majus, est ea pars totius brachii, quæ supernè terminatur, quæ brachio quidem continua est, per articulum, qui in curvatura cubiti est, cui innititur; infernè autem, quæ Carpo, manus extrema conjungitur, quo in spatio duo ossa recipiuntur: alterum magnum, & rotundum, nominatum eodem nomine, quo pars, i.e. cubitus; alterum, quod Cerchis, Arabibus focile minus, i.e. Radius appellatur. 2. de motu muscul. cap. 2. & 1. de fract. 18.

Cubiforme os, quod κυβοειδὲς ὄστρον dicitur, est os, quod ab externis pedis partibus, firmum in terra statuitur, externisq; tarsi partibus est locatum; & articulatur cavitati calcanei, ad finem adjacenti. 3. de usu part. 7. Est enim os unum, ex quatuor tarsi ossibus, solum nomine donatum, cum reliqua tria careant nominibus; est autem os, ut reliqua tarsi ossa, intus cavum, foris gibbum, cubo simile, quod latera sex habeat cubo communia.

Cuculus. Vide Coccyx.

Cucurbitulæ leves, quæ citra scarificationem adaptantur. 3. loc. aff. cap. 4.

Cunei os, sive cuneiforme, quod & ὄστρον σφυροειδὲς, os basilare, & os palati appellant, medium inter superiora, & inferiora totius capitis ossa. lib. de ossib. cap. 1.

Cunus, τὸ γυναικείον, pudendum muliebre, naturâ inter ossa pubis extrinsecus locata, uterini colli capacitatis

est, pelliculam quandam habens, virorum præputio correspondentem. lib. de vulvæ dis. c. 2.

Curatoria, Θεραπευτική, Medicina pars est, quæ tum factū morbum tollit, tum fienti occurrit, tum eum, qui imminet, aut futurus timetur, amolitur, præcavet & impendit, (quod est propriū θεραπευτικὴς.) Therapeutices autē tres sunt partes ad curationem necessaria, Διαγνωτική, Θεραπευτική, & Θεραπευτική, quarum prima victus rationem instituit, altera medicamenta propinat, postrema manum adjutricem admovet. de part. art. med. cap. 1.

Curta, κολλοματία, i.e. mutila & curta. Id autem dicitur à Græcis Coloboma, quod in labiis, aut narium aliis, aut aure deficit: hujus generis sunt, & quas in majore angulo Rhœadas vocant, eo utiq; vel impensius extenuato, minorēve factō, vel prorsus abolito. Vide Colobomata.

Cuticula. Vide Cutis suprema.

Cuticularis membrana. Vide Membrana dura.

Cuticulosus musculus est, qui extrema sedis ora cuti commixtus, obtrinet, ut vel cuticulosus musculus, vel carnosa cutis dici possit. lib. de musc. dis. c. 30.

Cutis suprema, Δερμὶς, & Δέρμα, quæ & Derma dicitur, quasi Corium dixeris, quia excoriari potest, cujus exterior pars, Epidermis sive summa cutis corporis, sive Cuticula est, & toti superextensa, sensuq; destituta, aut certè hoc perquam obtuso pollēs, quippè quæ sæpè citra dolorem facillè ab ea separatur. 2. de usu part. cap. 6. & 3. meth. 4.

Cyboides. Vide Cubiforme.

Cycliscus, sunt cava excisoria scalpæ. 6. meth. 6.

Cyllum, κυλλόν, dicitur apud Hippoc. crus varum, i.e. in exteriorem partem luxatum, vel conversum, aded ut

sura

suræ processus, qui talem exterius complectitur, sine ullo stabilimento suspensus relinquatur; quamvis propriè mutilum, & imperfectum significet, ut scribit Gal. 3. de dieb. critic. ubi in ea significatione mensem κοινὸν appellari inquit, qui diebus viginti novem constet; alios autem perfectos, qui triginta. Undè Cyollosim, κύλλωσις, distortionem cruris in exteriorē partem vocat Gal. 4. de artic. Idem tamen com. 3. dicit, nonnullos, de omni longorum membrorum distortionē κύλλωσις intelligendam censere, generaleq; ei tribuere significatum; alios verò eo nomine distortionem solum intelligere, in qua, in interiorē partem, membrum inclinatur.

Cyema, κύημα, foetus est, cum nondum menses duos in utero absolverit, quo tempore Embryon dici nequit, sed Cyemai, i. e. uteri gestatio, & conceptus, & genitura. 1. de sympr. caus. cap. 7.

Cymbalaris. Vide Cricoides.

Cynanche, est inflammatio extra guttur existens, quæ & Paracynanche dicitur; si autem sit inflammatio faucibus adjacentium musculorum, dicitur Synanche, vel Parasynanche. 4. aph. 34. Propriè loquēdo, Angina Græcis est inflammatio, quæ in gutture & faucium partibus & musculis externis internisq; advenit; Hippocrates verò & alii Veteres, omnes passionēs, in iis locis advenientes, quas spirandi difficultas comitatur, Anginæ nomine vocant, nullo existente in pectore vel pulmone vitio; quâ in re differt Angina à Peripneumonia & laterali morbo, ex eo, quod angustia sensus in gutture est, cunctis in angina speciebus: suntq; ejusdem (exquisitè loquendo) quatuor differentiæ: una, ubi fauces inflammantur; altera, ubi neq; reliquæ oris partes, neq; etiam externarum par-

tium nulla inflammata videtur, ager tamen suffocationis periculum in gutture persentit; tertia, quando gutturis partes, tum externa, tum interna similiter inflammantur; quarta, ubi ad anteriorem regionem, cervicis vertebrae luxantur, & inde cavus apparet locus, doloremq₃, quando tangitur, ager sentit. Recentiores Græci quidam, ut est Paulus lib. 3. cap. 27. & nostra ætatis Medici non pauci, inter Cynanchen, & Synanchen, inter Paracynanchen, & Parasynanchen discrimen faciunt, quod tamen Galenus lib. 4. de loc. aff. cap. 5. & 3. progn. 20. reprehendit. Inflammationem itaq₃, quæ in interioribus faucium musculis oritur, Σωάγχιον nominant; eam verò, quæ in exterioribus eorundem musculis fit, Παρὰσωάγχιον: Inflammationem item, quæ in interioribus musculis gutturis accidit, vocant Κωάγχιον; eam autem, quæ in exterioribus ejusdem musculis oritur, Παρὰκωάγχιον. Vide Angina.

Cynodontes. Vide Canini dentes.

Cyphosis, κύφωσις, gibbositas seu gibborositas, vitium spinæ est, quod à casu, ictu, & tuberculis crudis & duris, anteriorem thoracis partem distendentibus, pulmonemq₃ prementibus, aliquando contingit, ut docet Gal. eo aph. quo scribit Hipp., gibbos ex asthmate, aut tussi factos, ante pubertatem mori. Vide Gibborositas. Dicitur eadem κύφωσις, ut annotavit Gal. 8. de artic. Opposita huic Contorsio, dicitur Lordosis, λόρδωσις, spinæ vertebrae in anteriorem partem conversis. Vide Lordosis.

Cyrtoma, κύρτωμα, tuberculum in iliis appellavit Hippocr. quod & œdema ab eodem appellari solet. 2. progn. 25.

Cyrtosis. Vide Cyphosis.

Cyffaros, κύσφαρος, est ultimum intestinum in ordine, quod

quod & rectum dicitur, & podex est. lib. Quod animal sit, id, quod in utero. cap. 5. Vide Rectum.

Cystis, κύστις, ἑσποδόχῃ, vesica, est pars membranosa, urinam à renibus excipiens, & foràs excernens, exanguis, nervosa omninò, latissimè distendi, & arctissimè contrahi idonea, ut reliqua omnia alba, & exanguia, nervis insignibus instructa: in quam, renes, tanquam in lagenam, urinam deponūt per meatus, ureteres dictos, qui à renibus prodeuntes, obliquo itinere delati, inter ipsius binas tunicas, paulò supra ipsius os, inseruntur; cujus vesicæ cervicem musculus ambit, transversis constans fibris, quibus undequaque restrictis, vesicam claudit, ne urina effluat.

Cystis choledochos, quæ & vesica fellis, & vesica bilis susceptiva, Græcis autem κύστις χολοδόχῃ dicitur, vesica est, in cavâ ipsius jecinoris parte sita, inter venæ portæ & cavæ radices, bilem ex jecinore attrahens, quam rectis fibris trahit ex hepate, obliquis retinet, transversis verò expellit, quæ & ob id fellis folliculus appellatur. 4. de usu part. cap. 12. & 2. de natural. fac. cap. 9. & 9. de anatom. adm. cap. 2.

D

D A C T Y L I O N, πῦγος ἢ ἑσποδῆς, i.e. podex. 1. de compos. med. loc. cap. 15. Sunt quoq;, qui rectum intestinum eo nomine intelligant.

Darlis, i.e. excoriatio, quâ, cutis, à subjectis partibus scalpello deceditur & separatur. 3. de anat. adm. cap. 2.

Dartos, una est è quatuor membranis, quæ testes involvunt: earum prima & intima Epididymis; post eam Erythroides, i.e. vaginalis; tertia Dartos, carnosâ, Erythroide multò valentior & crassior; quarta & extima Scrotum est. Introd. cap. 11. Mulierum autem testes, peni-